

COLLECCIÓN
DE
DOCUMENTOS
DE
LA
REAL ACADEMIA
DE LA LENGUA

14

VII

33



1 — 3.

14. VII - 33

100

9. 12. 13.

DISPUTATIONES
THEOLOGICÆ
DE
DEO UNO ET TRINO
PRIMOQUE RERUM OMNIUM
CREATORE.

Auctore

D. JOANNE DE FERRERAS,

Parochialis S. Andreae Matritensis Rectore, Toletani Archie-
piscopatûs Synodali Examinatore, nec non Tribunalis Sacræ

Nunciaturæ, Supremæ Inquisitionis Consultore, Regiæ

Accademiæ Decano, Regiæque Bibliothecæ
Præfecto.

OPUS

IN DUAS PARTES DIVISUM.

PARS POSTERIOR.

MATRITI, Typis Joannis Stunicæ,
Anno M.DCC.XXXV.



ERRATAS DE ESTE TOMO.

Pag. 27. lin. 17. de Aquina, *lege* de Aquila. Pag. 56. lin. 5. duas, *lege* duos. Pag. 57. lin. 30. verbi, *lege* verti. Pag. 74. lin. 1. Gigantas, *lege* Gigantes. Pag. 108. lin. 33. immediationem, *lege* immediatione. Pag. 113. lin. 7. actus internos, *lege* actus inter nos. Pag. 144. lin. 12. concedens, *lege* condiens. Ibidem, lin. 25. homina, *lege* hominem. Pag. 154. lin. 12. permii, *lege* præmii. Ibidem, lin. antepen. loum, *lege* locum. Pag. 170. lin. 20. d'entes, *lege* clientes. Pag. 174. lin. 10. Lect. *lege* Levit. Pag. 186. lin. 15. hæ tamen, *lege* hæc tamen. Pag. 201. lin. 17. & sit factus, *lege* factus est Sol. Pag. 204. lin. 3. eos prudocere, *lege* producere. Pag. 207. lin. 27. mane, *lege* mare. Pag. 211. lin. 35. factus esse, *lege* factus esset. Pag. 218. lin. 10. esserant, *lege* esserant. Pag. 229. lin. 36. implere, *lege* impelere. Pag. 233. lin. 9. in capax, *lege* incapax. Pag. 242. lin. 35. peccatam, *lege* peccatum.



De la Real Academia Española.




DE DEO UNO, TRINO,

ET RERUM OMNIUM CREATORE,

PARS ALTERA.

DISPUTATIO I.

DE DIVINA OMNIPOTENTIA.

I  CTURI de Deo omnium rerum creatore, & primo principio, necesse est primum pertractare de ejus Omnipotentia: ac supponendum primo, Deum optimum, maximum esse omnipotentem, hoc est, posse producere omnia producibilia. Hoc confitemur Christiani verbis symboli: *Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem*, edoctique Sacris Literis. Nam Genes. cap. 17. dicitur: *Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus*; pluribusque aliis locis veteris Testamenti, præsertim Job: ac Novi, præsertim Apocalypsis. Idem credunt Judæi, Mahumetani, & communissime Hæretici, gentium Philosophi, & Poetæ.



2. Constat etiam ratione, & discursu. *I.* Quia, qui potest omnia producibilia producere, omnipotens est; sed Deus potest omnia producibilia producere: ergo est omnipotens. *Maj. ex terminis constat, Min. prob.* Nam Deus est primum ens, ceterorum causa; sed quod est causa ceterorum, potest illa producere: ergo Deus cetera alia à se potest producere. *Maj. est notio Dei. Min. est evidens:* Quippe causa talis dicitur, quia potest effectum producere.

3. *II.* Quia Deo concedenda est omnis perfectio simpliciter simplex; sed esse omnipotentem est perfectio simpliciter simplex, nullam includens imperfectionem: ergotribuendum est Deo esse omnipotentem. *III.* Quia si esset aliquid producibile, & non à Deo immediate, vel mediate: esset producibile ab altera causa, quæ non esset Deus; sed repugnat alia causa independentis à Deo: ergo repugnat ens producibile, & non à Deo. *Maj. constat ex se; Min. autem est certa, ex his quæ diximus de Unitate Dei. Conseq. autem est legitima.*

4. *Supponendum II.* quod ex hoc, quod Deus sit omnipotens, recte infertur esse in Deo omnipotentiam, sicuti ex eo quod est immensus, dicimus esse in eo immensitatem; & ex eo quod est æternus, & sapiens, esse in eo eternitatem & sapientiam; perindeque omnipotentiam nihil aliud esse, quam potentiam producendi quidquid potest existere realiter distinctum ab ipso. Quidquid autem potest existere realiter, ab ipso distinctum, dicitur possibile, quod passive sumptum, nihil aliud est, quam quod in sui esse non implicat contradictionem: sicuti impossibile, ex terminis & essentialiter, quod contradictionem implicat.

5. *Ex quo sequitur* debere supponi *III.* quod creatura pure possibilis nihil sunt actu, & à parte rei, nisi pure objective & verificativè, sicuti privationes, & negationes, quæ non sunt actu, nisi pure objective, & verificativè. Ex quo infertur, quod creaturae possibiles, quæ tales, non sunt possibiles ex voluntate Dei; sed ex eo quod earum prædicata intrinseca non includant contradictionem: unde ex se, & per se sunt possibiles, sicuti homo ex se, & per se est animal rationale; atque adeo non potest Deus facere, ut id quod est possibile, sit impossibile; aut id, quod est impossibile, sit possibile. Quapropter

creatura possibile, seu possibilitas creaturarum necessario est ab æterno. Nam cujuslibet creaturæ productio supponit illam pro priori possibilem; prioritas autem ad quamlibet productionem nulla alia potest esse, nisi æternitatis; perindeque creaturæ possibile sunt ab æterno.

ART. I. An Dei Omnipotentia sit quid distinctum ratione nostra ab essentia Divina, Divino intellectu, aut voluntate Divina?

CUM enim concipiamus Omnipotentiam, ut facultatem in Deo operandi ad extra, & omnia opera Dei ad extra sint Deo libera: exercitium Omnipotentia necessario supponit liberam voluntatis Divinae determinationem de existentia creaturæ: & cum voluntas Divina reguletur Divina cognitione ad actualem productionem creaturæ, necessarius est actus intellectus Divini ad actum liberum Divinae voluntatis, quo velit creaturam existere: & de hac facultate, qua Deus potest producere quamlibet creaturam, querimus quo sita sit?

7 Quatuor in hac re sunt Theologorum sententia. I. docet, quod natura Divina immediate, & per se ipsam est effectiva operum ad extra, ut determinata per actum Divinae voluntatis, quo vult creaturas esse. II. docet, Divinam Omnipotentiam stare in actu intellectus Divini, non quidem quo cognoscit Deus creaturas possibile scientia simplicis intelligentia; sed in actu practico imperii, quo intellectus dicitur; *hoc fiat, vel hoc est faciendum*. Hanc tenent communius Thomistæ, docentes hunc actum subsequi ad determinationem Divinae voluntatis. III. tenet Divinam Omnipotentiam sitam esse in actu efficaci Divinae voluntatis, quo Deus vult esse creaturas. Hanc sententiam tenent communius Jesuitæ, pluresque alii Auctores; Ac tandem IV. tenet Omnipotentiam esse attributum quoddam Divinae naturæ distinctum ab ea, & ab intellectu, & voluntate; esseque potentiam operativam ad extra cujuslibet producibilis distincti à Deo.

Hanc tenent aliquot Theologi antiqui, nec non & aliqui recentioribus.

8. *Nobis dicendum*, quod Divina Omnipotentia fiat formaliter in Divina voluntate. *Prob.* Quia potentia executiva voliti à Deo, est formaliter Omnipotentia; sed voluntas Divina efficax est executiva voliti: ergo est formaliter Omnipotentia. *Maj. cum consequent. est certa; Min. prob.* Quia Deo concedenda est perfectissima voluntas: ergo voluntas Divina est per se, & immediate executiva voliti. *Prob. consequent.* Quia voluntas, quæ est per se & immediate executiva voliti, est perfectior voluntate, quæ per se & immediate non est executiva voliti; sed in Deo est perfectissima voluntas: ergo ejus voluntas est per se & immediate executiva voliti.

9. Ex his facile veniunt confutandæ aliorum sententiæ. Et quidem quod natura Divina non possit esse formaliter Omnipotentia. *Prob.* Quia hæc est potentia executiva voliti à Deo, & consequenter posterior Divina voluntate; sed natura Divina non est posterior Divina voluntate, sed potius est illa prior: ergo natura Divina non potest esse formaliter Omnipotentia.

10. *Conf.* Quia hoc ipso quod voluntas Divina sit per se & immediate effectiva rerum, superfluit Omnipotentia ad executionem in natura Divina. Nam voluntas Divina est per se immediate executiva rerum; Omnipotentia in natura Divina nunquam posset ponere rem in executione, cum illam supponeret positam in executione per voluntatem Divinam: ad modum quo si Sacramentum Pœnitentiæ requireret necessario contritionem pro dispositione, nunquam per Sacramentum Pœnitentiæ conferretur prima remissio peccatorum, quia per contritionem supponerentur remissa: ergo si per Divinam voluntatem supponitur res posita in executione, Omnipotentia posita ex parte naturæ Divinæ, nunquam posset ponere rem in executione.

11. Quod autem Divina Omnipotentia non consistat in actu intellectus, qui dicitur *imperium*, supponens electionem mediorum, ut autumant Thomistæ. *Probat.* Tum quia nec in creaturis datur, cum non sit cognitio; & omnis actus

intellectus cognitio esse debet, sicuti omnis actus voluntatis volitio, aut nolitio. Tum quia, etsi in creaturis daretur actus imperii ex parte intellectus ad executionem mediorum post electionem illorum, ad vincendam difficultatem in eorum usu; hoc tamen non habet locum in Deo, qui nullam potest habere difficultatem in operando: ergo in prædicto actu imperii non potest consistere Omnipotentia. Tum denique quia prædictum imperium supponeret voluntatem Dei immediate & per se executivam voliti, & consequenter Omnipotentiam. Qua ratione respuenda venit ultima sententia, constituta jam Omnipotentia in voluntate Dei efficaci per se & immediate executiva voliti.

ART. II. *An Omnipotentia connectatur cum creaturis possibilibus?*

12 **C**onnecti unum cum alio nihil aliud est, quam unum non posse existere sine alio: & jam dictum est creaturas posibles esse logice necessariò & ab æterno posibles: unde quod disputatur est, an Deus ratione Omnipotentia cum creaturis possibilibus connectatur; ita ut deficientibus creaturis possibilibus, Deus non esset Deus. Hæc questio facta est celebris in Schola Societatis propter alumnos Suarez & Vazquez. Hic enim tenuit Deum ratione Omnipotentia non connecti cum possibilibus, quem plures eodem instituto sequuti sunt. Ex recentioribus Izquierdo, Ortega & alii. Contrarium vero tenuit Suarez, cuius sententiam plures Jesuitæ amplexi & ex recentioribus præsertim Alderete, Ribadeneira, & Marin. Schola autem Thomistarum connexionem Omnipotentia cum possibilibus semper defendit, eademque ex nostris docuere aliquot.

13 *Dicendum nobis*, Divinam Omnipotentiam necessario connecti cum possibilibus. Omisissisque sophismatibus, & longissimis syllogismis, quibus præpeditur intellectus, & non illustratur, frequentibus utriusque partis defensoribus. *Probatur nostra sententia.* Nam deficiente Omnipoten-

tia à Deo, Deus non esset Deus; sed deficientibus possibilibus, deficeret omnipotentia: ergo deficientibus possibilibus Deus non esset Deus. Ergo Deus ut omnipotens connectitur cum possibilibus: cum connexio stet in hoc, quod unum sine alio existere non possit. *Conseq.* primi syllogismi est legitima, restantque probanda præmissa: & *ejus Major prob.* Nam deficiente quocumque prædicato necessario Dei, Deus non esset Deus; sed omnipotentia est prædicatum necessarium Dei: ergo deficiente omnipotentia à Deo, Deus non esset Deus; sicuti Deus non esset Deus, si ab ipso deficerent immensitas, aut scientia. *Minor autem primi syllogismi prob.* Quia implicat potentia ad terminum, quoties terminus est impossibilis: cum potentia importet essentialiter respectum ad possibile: ergo deficientibus possibilibus, quæ sunt terminus omnipotentia, omnipotentia ipsa Deo deficeret: ad modum quo Jesuitarum sententia, quia sub prædeterminatione ad amorem est voluntati creatæ impossibilis carentia amoris, non est ad eam potestas in voluntate creata: ergo deficientibus possibilibus, non esset in Deo potentia ad possibilia, quæ est omnipotentia.

14 *Dices cum adversariis:* quod deficientibus possibilibus non deficeret omnipotentia quoad intrinsecum, seu quoad entitatem; sed solum deficeret quoad extrinsecum: quia est quid extrinsecum omnipotentia possibile, & omnipotentia solum est virtus conditionata producendi possibile: unde deficientibus possibilibus, non deficeret omnipotentia quoad entitatem.

15 Huic tamen solutioni obstant plura. I. Quia Deus non est conditionate omnipotens, sed absolute & simpliciter talis: & sic in Symbolo Apostolorum præscriptum primo credere: *in Deum Patrem omnipotentem*; nec priscis ante hanc disputationem sæculis aliter auditum in Ecclesia. II. Quia juxta hanc doctrinam etiam omnipotentia dici poterit potentia conditionata ad ea, quæ implicant contradictionem, si illam non implicarent: similiter voluntas Divina, facultas conditionata ad amandum peccatum, si peccatum tale non esset: pluraque alia hujuscemodi, quæ meo judicio aliena sunt à communi Theologorum sensu: ergo prædicta solutio omnino est respuenda.

16. *III.* Quia virtus conditionata transit in absolutam, purificata conditione; sed per totam aternitatem à parte ante est purificata conditio possibilium: cum per totam aternitatem à parte ante possibilia sint possibilia: ergo per totam aternitatem à parte ante omnipotentia est virtus absoluta producendi possibilia. *IV.* Quia omnipotentia est quid reale in Deo, licet realiter indistinctum à cæteris prædicatis necessariis ipsius, sicuti immensitas, & scientia necessariorum: ergo sicut deficiente Deo immensitate, deficeret Deo aliquid reale non solum terminative, sed etiam entitative; & Deus non esset Deus: ita deficiente Deo omnipotentia ex defectu possibilium, non solum deficeret terminative, sed & deficeret entitative: quia potentia dicit essentialiter respectum ad aliquid, sine cuius respectu potentia qua talis concipi non potest.

17. *Sed arguitur I.* Connexio omnipotentia cum possibilibus dicit imperfectionem in Deo; sed quod dicit imperfectionem in Deo, non est admittendum, cum Deus sit infinite perfectus: ergo connexio omnipotentia cum creaturis possibilibus admittenda non est. *Prob. Maj.* Quia connexio in suo conceptu dicit dependentiam unius ab alio, cum unum non possit existere sine alio; sed conceptus dependentia dicit imperfectionem: ergo connexio dicit imperfectionem; consequenterque illam dicet connexio omnipotentia cum possibilibus.

18. *Resp. negando*, quod connexio, qua talis, dicat imperfectionem, aut dependentiam tanquam à priori, ut dependentia effectus à causa. Nam in Divinis Pater aternus est connexus cum Filio: & ibi nulla est dependentia stricta; sed emanat ex summa & infinita perfectione: Deusque, qua misericors, connectitur cum possibilitate miseria: qua fidelis, connectitur cum possibilitate promissionis, & qua verax, cum possibilitate locutionis: hæc tamen connexiones nullam dicunt imperfectionem in Deo: quia præcise sunt connexiones logicae; non vero physicae & à priori. Connexio autem omnipotentia cum possibilibus solum est logica, & metaphysica, enascens ex ipsa Dei perfectione: quia hoc ipso, quod possibilia sint ab aeterno, ex ipsa Dei infinita perfectione enas-

enascitur, quod Omnipotentia habeat respectum ad ea, & consequenter connexionem logicam ad illa tanquam ad suum terminum. Ex quo facilis est formalis responsio.

19 *Arg. II.* Deus ex prædicatis intrinsecis est plene beatus, & sibi sufficiens; ut nullo à se distincto egeat, nec ab illo dependeat; sed si connecteretur cum possibilibus, alio à se distincto egeret, & ab illo dependeret: ergo Deus cum possibilibus non connectitur. *Maj. ab adversariis probatur*, pluribus Scripturæ locis & PP. Auctoritate. *Min. autem probatur.* Quia id quod non potest existere sine alio, eger, & dependet ab illo ut sit; sed sine creaturis possibilibus non esset Omnipotentia, nec existere posset: ergo Omnipotentia egeret, & dependeret à possibilibus.

20 *Confirmatur.* Quia Deus in se & per se est ens summe necessarium, non habet aliquam connexionem cum creatura in existendo; sed si connecteretur cum possibilibus, haberet connexionem cum possibilibus in existendo: ergo non connectitur cum illis.

21 *Resp. ad gumentum*, quod Deus est plene beatus, sibi sufficiens, & nullo alio à se distincto realiter existente indigens: & cum omnis realiter existentis sit vera & realis causa, non potest dependere ab alio realiter existente: quippe causa est prior effectu, & quando aliquid dependet ab alio ut à causa, dicitur dependere ab illo dependentia physica: & hoc modo nullatenus connectitur Omnipotentia cum possibilibus. Nam nequeabilia sunt causa omnipotentia, nec hæc causa possibilium pro statu possibilium: at vero summa Dei perfectio non opponitur necessitati, indigentia, & quasi dependentia logicè acceptæ cum possibilibus, tanquam cum termino; quia hanc connexionem logicam Deus ipse ex sua perfectione deposcit. Nam sunt plures perfectiones Deo essentielles, quarum sine possibilitate creaturarum, exercitium esset impossibile, ut jam dictum & patet exemplo libertatis: nam Deus per suam essentiam est agens liberum; & si creature possibles non essent, cum non possit erga se exercere suam libertatem, eo quod se amat necessario: non esset in quo posset exercere suam libertatem. *Ex quo in forma: si omnipotentia connecteretur cum*

cum possibilibus, egeret & dependeret ab illis indigentia & dependentia logica: *Concedo*: physica: *Nego*. Ad Confirmationem *Respondetur*: quod Deus quia est ens summe necessarium non habet connexionem cum creatura realiter existente: ceterum cum creaturis possibilibus qua Omnipotens, & consequenter qua Deus, habet connexionem logicam cum illis. Nam (ut dictum est) potentia dicit essentialiter respectum ad terminum, à quo respectu prescindi nunquam potest.

22 *Arg. III.* Quia potior & melior est Omnipotentia inconnexa cum possibilibus, quam cum illis connexa; sed in Deo ponenda est Omnipotentia cum omnimoda perfectione: ergo in Deo ponenda est Omnipotentia inconnexa cum possibilibus. *Min. cum Conseq. tenent, & Maj. prob.* Nam Omnipotentia inconnexa cum possibilibus, est magis absoluta & abstracta, quam connexa cum illis: sed quod est magis absolutum & abstractum, est potius & perfectius: ergo Omnipotentia inconnexa cum possibilibus, est potior & melior quam Omnipotentia cum illis connexa.

23 *Resp. ad hoc Arg.* Quod Omnipotentia inconnexa cum possibilibus est Omnipotentia chimerica & repugnans: quia potentia est essentialiter respectiva alicujus termini, ac proinde dicit essentialiter respectum & connexionem cum illo: ad modum quo formalis ratio causæ in actu primo dicit respectum ad effectum; quia sicut ratio causæ in actu secundo non potest stare sine effectum in actu secundo: ita ratio causæ in actu primo stare non potest sine respectu ad effectum. *Instaturque forma argumenti*: nam potior & melior videtur libertas Dei determinata ab unum, quam indifferens ad plura: cum foret magis absoluta & abstracta; quia hoc tamen repugnat conceptui libertatis, talis libertas repugnat: ita ergo quia Omnipotentia inconnexa cum possibilibus repugnat conceptui potentia, ableganda est à Deo. *Ex quo in forma*: Omnipotentia inconnexa cum possibilibus est potior, & simul chimerica & impossibilis: *Concedo*, possibilis & non chimerica. *Nego*. Ex qua doctrina corruunt plura adversariorum sophismata.

24 *Arg. IV.* Quia Omnipotentia non connectitur cum
Vol. I. Pars II. B im-

impossibilibus: ergo nec cum possibilibus. *Prob. consequentia.* Quia id quod connectitur cum aliquo extremo, connectitur cum ejus contradictorio: ergo si Omnipotentia non connectitur cum impossibilibus, nec erit connexa cum possibilibus.

25 *Resp.* quod Omnipotentia non connectitur cum impossibilibus; quia non sunt termini ipsius Omnipotentia; at possibilia sunt terminus Omnipotentia, & ideo necessario cum illis connectitur. *Ad prob. Consequentia negatur.* *Ant.* Quo corrumpit argumentum.

26 *Arg. V.* Quia Deum esse beneficium & misericordem potest stare in Deo sine exercitio beneficentia & misericordia: ergo & potest stare in Deo Omnipotentia sine connectione cum possibilibus. *Resp. negata Conseq.* Nam ex antecedenti solum inferitur, quod potest stare Omnipotentia sine exercitio: immo potius, cum implicet potentia, implicante exercitio, perfectiones activæ in Deo non possent esse, si non esset possibile earum exercitium; quippe si repugnaret miseria ex parte creatura, Deus misericors esse non posset; & sic si possibilia non essent, non posset esse in Deo Omnipotentia.

27 *Arg. VI.* Si Omnipotentia connecteretur cum possibilibus, connecteretur cum Petro possibili; quia non stat connexio cum termino propositionis universalis, quin stat connexio cum omnibus particularibus contentis sub illa; sed Deus non connectitur cum Petro possibili: eo quod, si deficeret Petrus possibilis, deficeret Deus, quod videtur plane absurdum: ergo Omnipotentia cum possibilibus non connectitur.

28 *Resp.* Quod aliqui concedunt consequentiam, asserentes quod Omnipotentia ita connectitur cum possibilibus in particulari, ut si quodlibet deficeret in particulari, deficeret Omnipotentia. Nec vero dicimus Omnipotentiam connecti cum possibilibus collective acceptis, & cum quolibet particulari, ut stat sub collectione: quia ut stat sub illa, est possibile, & si cum illo non connecteretur Omnipotentia, talis non esset: quia aliquod possibile non esset terminus illius, & sic deficeret. Attamen, si aliquod

pōssibile fieret impossibile, non deficeret omnipotentia: eo quod omnipotentia ad omne possibile intra collectionem possibilitatis extenderetur; sicut Dominus urbis superioritatem habet ad omnes vassallos commorantes in urbe; si tamen aliquis aliò commigraret ad habitandum, ejus superioritas non minueretur entitative, quia semper esset super omnes habitantes urbem, solumque defecturam ex parte termini. Ita ergo si aliquod possibile fieret impossibile, non deficeret omnipotentia; sed solum illud possibile deficeret esse terminus omnipotentia: cujus & sunt plura alia exempla, uti si idem actus transiret de bono in malum, amor Dei in illum deficeret defectu termini præcisè; & non deficeret quoad entitatem.

ART. III. *An aliqua creatura possit esse omnipotens?*

29 **R**esp. quod non potest aliqua creatura esse omnipotens. *I.* Quia quod est proprium Dei, non potest convenire creaturæ; sed esse omnipotentem est quid propriissimum Dei: ergo esse omnipotentem non potest convenire creaturæ. *Major. cum consequentia tenet.* Nam id quod est proprium alicujus rei, alteri non potest convenire. *Minor. autem constat ex Scriptura plurimis locis, sed præcipue Exodi 15. v. 3. Omnipotens nomen ejus:* nomina autem Dei, qua talis, ita sunt propria, ut alii convenire non possint. *II.* Quia omnis creatura est finita, & limitata in entitate: ergo ejus potentia non potest esse infinita. *Prob. Conseq.* Quia potentia non potest esse major rei entitate, cum entitatem sequatur; sed cujuslibet creaturæ entitas est finita, & limitata: ergo ejus potentia necessario est finita, & limitata, & consequenter ejus potentia non potest esse infinita, qualis est omnipotentia. *III.* Quia omnipotentia est potentia producendi omnia possibilia; sed in nulla creatura potest esse potestas ad producenda omnia possibilia: ergo in nulla creatura potest esse omnipotentia. *Minor. prob.* Quia unum ex possibilibus est ipsa creatura; sed nulla creatura potest se ipsam produ-

re, ut ex Philosophia est evidens. Nam quod producitur, pro priori non est; & quod producit, pro priori est: ergo in nulla creatura potest esse potestas ad producenda omnia possibilia.

30 *Quæri tandem posset*: an creatura possit constitui omnipotens per Divinam omnipotentiam sibi intrinsece unitam, sicut sententia Thomistarum humanitas Christi constituitur subsistens per subsistentiam Verbi, & constituitur sancta per sanctitatem increatam, ut aliqui opinantur? Hæreticos Ubiquistas, qui docuere Christum qua hominem esse ubique per Divinam immensitatem, pariter & omnipotentiam, necesse est fateri.

31 *Dicendum tamen*, creaturam non posse constitui omnipotentem per Divinam omnipotentiam intrinsece sibi unitam. Hujus asserti non eadem ratio Theologis. Nam aliqui censent repugnare Deum uniri intrinsece creaturæ in prædicato absoluto, de quo disputant Theologi, agentes de Verbi Incarnatione; sed nobis ab hoc præscindentibus, in nostra sententia non est difficile demonstrare repugnantiam. Nam omnipotentia (ut diximus) non est distincta à Divina voluntate; sed nulla creatura potest constitui volens Divina voluntate: ergo nulla creatura potest constitui omnipotens Divina omnipotentia. *Prob. Min.* Quia nulla creatura potest constitui volens, nisi per actum vitalem à se ipsa elicited, quo se moveat; cum hæc sit differentia inter viventia, & non viventia: viventia etenim se movent ab intrinseco, non viventia ab extrinseco moventur: ergo nulla creatura potest constitui volens Divina voluntate. *Prob. Conseq.* Quia Divina voluntas constituitur volens Divina volitione; sed repugnat, quod creatura sit volens Divina volitione; cum non possit esse à principio extrinseco creaturæ, ut patet: ergo nulla creatura potest constitui volens Divina voluntate, aut volitione.

32 Ad exemplum subsistentiæ personalis Verbi, qua humanitas Christi redditur subsistens, *respondent Thomistæ*, quod subsistentia Verbi continet effectum formalem subsistentiæ creatæ; cum sit subsistentia formaliter infinita: ac proinde potest præstare naturæ creatæ effectum formalem subsistendi; fecus verò omnipotentia, eo quod potentia est quid consequens.

quens naturam, & ideo per alienam potentiam non potest natura constitui potens. Ad exemplum Divinæ sanctitatis increata non multis ab hinc annis non defuit, qui Salmanticensis defenderet, humanitatem Christi esse sanctam per ipsam sanctitatem Dei increatam: statuebatque discrimen in eo, quod sanctitas increata erat quid distinctum realiter ab humanitate, sicuti realiter distinguitur gratia ab anima: & ideo per sanctitatem increatam constitui poterat humanitas Christi sancta; at vero potentia est idem realiter & formaliter cum natura, quæ formaliter est principium operationis; & sicut una natura non potest constitui talis per alteram naturam: ita nec potens per alienam potentiam, quod indicasse sufficit.

ART. IV. *An Deus possit facere infinitum in actu secundum numerum, quantitatem, aut qualitatem, seu intensiorem?*

33 **I**D est, an Deus producere possit per omnipotentiam infinitos numero homines, aut infinita numero individua in qualibet specie; aut corpus infinitæ magnitudinis, aut calorem infinitæ intensiorem? De quibus & disputant communiter Philosophi in libris Physicorum, & quidam latissimo calamo, nec defunt qui affirmant; sententia tamen negativa communis est Theologis.

34 *Dicendum ergo*, quod Deus non potest actu producere infinitum secundum numerum, quantitatem, aut qualitatem. *Prob.* Quia quod repugnat existere, non potest produci à Deo; sed actu existere infinitum secundum numerum, quantitatem, aut qualitatem omnino repugnat: ergo Deum illud repugnat producere. *Maj. cum Conseq. tenet; Min. autem prob.* Quia quodlibet eorum in suo genere est infinitum syncategorematicæ; sed infinitum syncategorematicæ repugnat actu existere: ergo quodlibet eorum infinitum in suo genere repugnat existere. *Maj. est certa.* Quia dato quolibet eorum semper restat amplius & amplius, & non est devenire ad

ad terminum, eo quod sit quid interminatum: sicuti si in aeternum moverentur celi, nunquam possent ejus motus dinumerari. *Min. prob.* Quia repugnat actu existere, cui semper superest aliud, & aliud non productum; sed infinito syncathegorematicè semper superest aliud & aliud non productum, ut patet: ergo infinitum syncathegorematicè repugnat actu existere. Quæ ratio debite penetrata, dissipat omnia sophismata contra nostram sententiam. Nam licet omnipotentia Dei sit infinita in ordine ad omnia possibilia divisive accepta; non est tamen potens ad omnia possibilia collective accepta: quia repugnat dari talem collectionem, cum semper superest aliud, & aliud.

35 Tandem conveniunt Theologi, quod ad ea, quæ implicant contradictionem, non potest Divina omnipotentia extendi: quia solum potest extendi ad possibilia; quæ autem implicant contradictionem, possibilia nullatenus sunt. Ex quo & deducitur, quod omnipotentia non potest extendi ad hoc, quod præterita non fuerint: quia, sicut res dum est, necesse est esse; ita res dum fuit, necesse est fuisse: unde sicut implicat, quod res dum est, non sit; ita & repugnat, quod res, quæ semel fuit, non fuerit. Aliæ autem quæstiones, quæ Theologiæ curriculo disquiruntur à Theologis, propriis tractatibus locum sibi vendicant, earumque difficultas stat tota, an implicent, vel non contradictionem.

ART. V. De Deo Creatore.

36 **P**rima Christianorum tessera est credere in unum Deum Patrem Omnipotentem Creatorem Cæli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium, id est, Factorem omnium eorum, quæ in Cælo sunt, & eorum quæ sunt infra Cælum, id est, omnium eorum quæ sunt in terra, in aquis, & in aere. Quo exploditur error Manichæorum sæculo III. Christiano, qui impie effudere, duo esse rerum principia, unum bonum, & alterum malum: itidem & Hermogenis, qui assererat materiam coæternam Deo, esseque principium passivum, ex quo Deus alia omnia fecerat: ac tandem Simonis Magi, Menandri, & Saturnini, qui mundum non à Deo,

Deo, sed ab Angelis conditum affirmabant, reclamante scriptura, innumeris pene locis adserente Deum omnium factorem, & conditorem.

37 Cum ergo Deus sit primum & unicum rerum principium, necesse est quod sit creator. Nam prima, aut primæ creaturæ ab ipso immediate productæ sunt, & cum non essent, capere existere: & non ex præsupposita materia: aliàs non essent primæ creaturæ, sed prior ipsis esset materia: hæcque materia immediate esset producta à Deo, & non ex alia materia; aliàs daretur processus in infinitum. Unde quodcumque dicatur, supposita rerum productione, necesse est Deum esse Creatorem.

38 Cæterum cum omne quod est productum, ante productionem non fuerit, & per productionem sit, incipiatque existere; necesse est quod id quod producitur, ex nihilo producat: quia id quod producitur, ante non est. Qua ratione Aristoteles inter principia entis naturalis privationem primam posuit. Si ergo in omni productione, quod producitur, ex nihilo sui producitur, quid interest inter veram, propriamque creationem, & alias productiones?

39 Communis, vulgataque apud Theologos responsio est, quod creatio nullum præsupponit subjectum, ut ejus terminus sit; at verò agens creatum requirit necessario subjectum, in quo producat effectum, seu in quo operetur suum effectum; sed hæc fusius disquiremus quæstione sequente.

ART. VI. *An creare ita sit proprium Dei, ut nulla creatura creare possit, seu producere per creationem aliquem effectum?*

40 **N**ON ergo est disputatio de creatura, quæ posset omnia creabilia creare, hoc enim superius diximus repugnare; sed de creatura, quæ possit suum determinatum effectum per creationem producere, & quidem non sine concursu Dei, ut rem expediamus.

41 *Dicendum cum communi Theologorum sententia* contra quosdam recentiores, quod nulla creatura potest suum effectum producere per creationem, & consequenter nulla potest creare. *Prob.* ex PP. auctoritate, qui inde probant Divinitatem Verbi contra Arianos, quia est omnium rerum creator: sed si creatura posset aliquid creare, tale argumentum non valeret: ergo nulla creatura potest aliquid creare. *Maj. prob.* ex Athanasio lib. 3. contra Arianos, ubi ait: *Nec vel Angeli quidquam creare possunt, cum & ipsi sint creature*: postea: *Administrare creaturam servorum sit: condere vero & creare solius sit Dei, ejusque Verbi & sapientie.* Augustinus lib. 9. de Genesi ad lit. cap. 15. *Angeli nullam omnino possunt creare naturam; solus enim cujuslibet natura, seu magna, seu minima creator est Deus.* Cyrillus Alexandrinus lib. 6. Thesauri cap. 2. *Nulla creatura unquam substantiam à nihilo producere poterit; finita namque virtutis esse non potest: Filius autem creator omnium est; quomodo igitur erit creatura?* Et sub finem: *Precipua Dei veri proprietas est, ut à nihilo possit substantias producere.* Ex lib. 14. cap. 6. *Potestas creandi Divina solummodo inest natura, & hæc est inter alias Deo convenientes dignitates, precipua.* His similia docent alii SS. PP. quæ obvia sunt apud Theologos.

42 *Licet nostra sententia suffulta sit PP. auctoritate; difficile est ratione, & argumentis monstrare, uti jam docuit Suarez in Methaphysica, disp. 20. sect. 2. num. 12. Thomistæ duabus potissimum utuntur rationibus. I. Quia actus universalissimæ causæ non potest creaturæ convenire; sed creare est actus universalissimæ causæ: ergo creare creaturæ non potest convenire. Maj. cum consequent. tenent; Min. prob.* Quia creare est producere ens ex nihilo, prout ens est; sed producere ens, ut est ens, est proprium universalissimæ causæ: ergo creare est proprium universalissimæ causæ. *Prob. Min.* Quia ens, ut est ens, dicit universalitatem ad omnia entia: ergo ens, ut ens est, est proprium universalissimæ causæ.

43 *Hæc autem ratio multis deficit: I. Quia creare omnia universaliter acceptum, est actus universalis causæ, quod non*

non potest creaturæ convenire, uti dictum est, at creare aliquid in particulari, non apparet unde probetur, quod sit actus proprius causæ universalis: atque adeò sicut Deus omnia producit, & cum hoc stat, quod causæ producant suos peculiare effectus; ita stare poterit, quod Deus sit creator omnium creabilium, & quod dependenter ab ipso possit aliqua creatura aliquem effectum creare. II. Quia ens, ut ens, & in univ ersali acceptum, produci non potest; quippe universale logicum non potest existere à parte rei, unde à Deo produci non potest. Ens, autem ut ens solum, dicit universalitatem logicam, sub qua creari & produci non potest; ens autem physice acceptum, nihil aliud est, quam omnia individua omnium specierum rerum creaturarum: Deus autem est omnis entis causa; quia omnia individua producit tam sub ratione individuali, quam sub ratione specifica, quæ realiter ab individuo non distinguitur. Unde sicut non repugnat, quod Deus sit omnium entium causa, & creaturæ sint causæ aliquorum entium determinatè, & illa producant, qua talia entia in particulari: ita non videtur repugnare quod aliqua creatura possit per creationem producere aliquem effectum in particulari.

44. II. *Ratio Thomistarum est*: quia ad creandum requiritur virtus infinita; sed nulla creatura potest esse virtutis infinita: ergo nulla creatura potest habere virtutem ad creandum. *Prob. Maj.* Quia ad creandum requiritur virtus, quæ possit vincere distantiam infinitam; sed ad vincendam distantiam infinitam requiritur virtus infinita: ergo ad creandum requiritur virtus infinita. *Prob. Maj.* Nam ad creandum requiritur virtus, qua possit agens producere ens ex nihilo; sed ad producendum ens ex nihilo requiritur virtus infinita, quia inter ens & nihil, seu inter esse, & non esse est distantia infinita; cum major non possit excogitari: ergo ad producendum ens ex nihilo requiritur virtus infinita.

45. Hoc tamen fundamentum probat causas naturales suos effectus producere non posse, nisi virtute infinita, cum effectus producantur de non esse ad esse, inter quæ est eadem distantia infinita, quæ non tollitur per hoc quod præ-

supponatur subjectum: quia effectus semper transit de non esse, ad esse. *Uterius.* Quia inter esse, & non esse non est distantia infinita positive, sed solum est distantia infinita ex parte termini *à quo*, quod est nihil; sed ex parte termini *ad quem*, solum est positive finita, quia solum est, qualis est terminus, qui est finitus: unde ad creandum non requiritur virtus infinita.

46 Alii repugnantiam invenire contendunt ex parte modi operandi creaturæ. Etenim causa creata effectum producit realiter distinctum à se, & per actionem à se realiter distinctam, uti docent Philosophi, & Theologi: quippe agens, seu causa in actu primo potest esse sine operatione. Cum ergo actio non sit ipsa substantia causæ, debet esse accidens, & consequenter debet præsupponere subjectum in quo sit. *Ex quo formatur discursus.* Actio quæ præsupponit subjectum, non potest esse creatio; sed omnis actio creaturæ præsupponit subjectum, cum sit accidens: ergo nulla actio creaturæ potest esse creatio.

47 Hæc tamen ratio solum probat quod (naturaliter loquendo) creatura creare non possit, quia ejus actio debet præsupponere subjectum, in quo sit; cæterum de potentia Dei absoluta nullatenus probat. Nam sicut in Sacramento Eucharistia accidentia sunt sine subjecto, cur non poterit Deus actionem creatam, quæ etiam est accidens, conservare sine subjecto, & per eam ejus effectus existere? Ex quo evanescunt aliorum rationes, ex eo quod actio creaturæ non potest esse sine motu, & mutatione; & motus, & mutatio præsupponit subjectum. Nam actio creaturæ necessario est motus agentis; sed supernaturaliter potest esse sine motu passi, seu subjecti; quippe cum sit accidens, de potentia Dei absoluta potest esse sine subjecto.

48 Scotistarum aliqui probant nostram sententiam: quia causa præcisa, & adæquata, cur creatura operetur dependenter à subjecto alia non est, nisi limitatio suæ virtutis, eo quod nequit eminenter continere causalitatem subjecti: ergo, si nulla creatura subjecti causalitatem potest præcontinere, nulla potest creare. Hæc tamen ratio inefficax est. Nam causa immediata cur creatura operetur dependenter

à subjecto solum est, quia operatur actione realiter à se distincta, quæ necessario debet esse in passio, & in ipso terminum producere; subjectum enim ad effectum se habet mere passivè, aut dispositivè: unde (de facto loquendo) limitatio creaturæ non infert repugnare creaturam aliquam, quæ habeat virtutem creandi aliquem determinatum effectum.

49 *Sed dices.* Talis creatura vel esset Spiritualis, qualis est Angelus; vel esset corporea, & materialis, cum inter hæc medium non detur; sed nec creatura Spiritualis, qualis est Angelus potest creare, nec creatura materialis: ergo nulla potest creare. *Prob. Min. quoad I. partem*, ex quo *facile probabitur pars. II.* Nam creatura Spiritualis, qualis est Angelus, non potest operari, nisi per intellectum & voluntatem, quorum actus, cum sint accidentia, non possunt producere substantiam: ergo creatura Spiritualis non potest creare: Ergo nec poterit creatura corporea, & materialis: quia id quod non potest creatura perfectior, minus perfecta non potest: ergo si creatura Spiritualis non potest creare, nec poterit creatura corporalis.

50 Attamen etiam hæc ratio deficit. *I.* Quia Angelus non solum operatur per intellectum, & voluntatem; sed etiam habet virtutem intrinsecam ad movenda corpora, quæ distincta est ab eorum intellectu, & voluntate, & similiter movendi se ipsum; ergo similiter non apparet repugnans, quod creatura Spiritualis prædita intellectu, & voluntate habeat ex se virtutem creativam alicujus effectus, dependentem ab ejus voluntate, ut exeat in actum.

51 Tandem Suarez cognoscens levitatem præmissorum fundamentorum, probat communem sententiam; quia si esset possibilis creatura, quæ posset creare, eam Deus produxisset ad perfectionem universi; sed in universo nulla est creatura, quæ possit creare: ergo nulla est possibilis, quæ creare possit. Hoc fundamentum communiter deseritur; quia Deus plures creaturas producere potest, quæ possent ulterius perficere hoc universum, & de facto non producit; unde ex hoc quod Deus non produxerit creaturam, quæ posset creare, minime infertur, quod non sit possibilis.

52 *Nobis potissima ratio est*, quia Scriptura, & PP. innuunt, quod creare est proprium Dei; quod autem est proprium Dei, creaturæ convenire non potest; sed qua ratione hoc sit proprium Dei, est supra tenuitatem nostri intellectus.

ART. VII. *An creatura possit esse causa instrumentalis creationis?*

53 **N**Ota est differentia inter causam *principalem*, & *instrumentalem*. Nam *principalis* est, quæ ex se habet virtutem ad producendum effectum; *instrumentalis* autem solum operatur ex virtute, & motione principalis agentis; cæterum instrumentis artificialibus experientia docemur, inesse dispositionem ad effectus, ut patet in terebro ad perforandum lignum; quæ tamen dispositio, & aptitudo non produceret effectum, nisi vi, & motione principalis agentis; quia hæc omnia instrumenta sunt inanimata, & per se motum non habent.

54 Magister in 4. Sent. dist. 1. alique Theologi tenere, creaturam posse esse causam instrumentalem ad creationem; verum communius Theologi idem negant: cum quibus dicendum, quod nulla creatura potest esse causa instrumentalis ad creandum. Variis rationibus probant AA. atque serio discutiunt examine. Nos autem hoc unico fundamento evincimus: quia omnis causa instrumentalis non potest operari, nisi recepta virtute, & motione principalis agentis; sed nulla creatura potest recipere virtutem, & motionem intrinsece principalis agentis in creatione: ergo nulla creatura potest esse causa instrumentalis in creatione. *Maj. est certa, Min. autem prob.* Quia in creatione agens principale est Deus; sed nulla creatura potest intrinsece recipere virtutem, nec motionem Dei: ergo nulla creatura potest intrinsece recipere virtutem, & motionem principalis agentis in creatione. *Prob. Min.* Quia virtus, & motio Dei principalis agentis in creatione est ejus omnipotentia, & motio ejus actio, quæ realiter non distinguuntur à Deo; at hæc non possunt recipi intrinsece in creatura, ut docent Theologi: ergo virtus, &

motio Dei principalis agentis non potest recipi intrinsece à creatura.

55 *Dices*, quod licet omnipotentia Dei, & ejus actio non possit recipi in creatura; potest tamen recipi in ea qualitas creatrix alicujus effectus determinatè, ratione cujus creatura posset instrumentaliter illum effectum producere. Nam talis qualitas, & potentia activa, seu creatrix non videtur repugnare: sicuti, etsi Deus sit invisibilis à creatura, & repugnet creatura, quæ naturaliter possit illum videre, prout in se est; tamen non repugnat qualitas (nempe lumen gloriæ) qua creatura sit potens illum, prout in se est, videre: unde, etsi repugnet creatura, quæ possit propria virtute omnia creare; non videtur repugnare, quod sit possibilis aliqua virtus creatrix determinati effectus, media qua creatura tanquam instrumentum posset per creationem talem effectum producere.

56 *Sed contra est.* Nam dato, quod sit possibilis qualitas creata, qua creatura esset potens ad producendum per creationem determinatum effectum; tunc creatura producens per talem qualitatem effectum rigoroſe creatum, non posset dici causa instrumentalis, sed principalis talis effectus: ergo data possibilitate talis qualitatis, creatura non posset esse causa instrumentalis talis effectus. *Prob. Ant.* eodem exemplo: creatura recepta qualitate luminis gloriæ, quod est supra ejus naturam, non dicitur causa instrumentalis visionis, sed principalis; esto acceperit à Deo virtutem luminis gloriæ: cum Deus non sit principalis videns per eam, ut dicunt Theologi Tract. de Visione: ergo similiter creatura accepta à Deo virtute creatricæ alicujus effectus, non dicitur causa instrumentalis talis effectus, sed causa principalis.

57 *Confirm.* Quia creatura recepta virtute creatricæ à Deo ad productionem talis effectus, non indigeret ad productionem illius, nisi concursu simultaneo Dei; sicuti receptis à creatura virtutibus supernaturalibus, non indiget ad eorum actus eliciendos, quantum est ex parte virtutis, nisi concursu simultaneo Dei; at causa instrumentalis requirit actualem motionem causæ principalis ad operandum: ergo cum casu, quo communicaretur creatura talis qualitas creatrix,

trix, posset creatura solo concursu simultaneo sine alia motione, & speciali cooperatione effectum producere, neutrumquam posset dici causa instrumentalis.

58 *Uterius.* Quia si creatura posset creare, ut instrumentum Dei, vanum esset argumentum SS. PP. quo contra Ebionitas, & Arianos probant Divinitatem Verbi ex eo, quod omnia ab ipso creata sunt: nam poterant dicere, & de facto dicebant, Patrem per Verbum tanquam instrumentum omnia creasse; at hoc non est dicendum: ergo nulla creatura potest aliquid creare, tanquam causa instrumentalis.

59 *Arg. I.* Quia Sacramenta novæ legis sunt causæ physica instrumentales gratiæ; sed gratia creatur: ergo datur de facto causa physica instrumentalis gratiæ. *Resp.* quod Thomistæ & alii, qui defendunt causalitatem physicam gratiæ in Sacramentis, negant gratiam creari; nos autem cum communiori Theologorum sententia *negamus*, Sacramenta physice instrumentaliter causare gratiam: quidquid sit de gratiæ creatione, aut eductione: de quo suo loco.

60 *Arg. II.* Quia Deus elevat verba consecrationis, ut instrumentum ad hoc, ut Christus sit in Eucharistia; sed corpus Christi in Eucharistia creatur, ut dicitur in cap. *Verum de Consecratione*: ergo verba Sacerdotis sunt instrumenta creationis. *Resp. negando Maj.* Nam per verba consecrationis non ponitur Christus in Eucharistia, tanquam per causam physicam instrumentalem, sed solum ponitur Christus in ea, tanquam per causam moralem. Nec verba ex præcitato cap. possunt intelligi de creatione rigoroſe accepta; sed solum late accepta, ut docent Theologi Tract. de Eucharistia.

61 *Arg. III.* Nam creatura potest esse causa instrumentalis ad faciendum miracula; sed in pluribus miraculis intervenit creatio: ergo creatura potest esse causa instrumentalis creationis. *Resp. negando* creaturam posse esse causam physicam instrumentalem miraculorum, in quibus interveniat creatio: omisso, quod possit esse causa instrumentalis physica miraculorum, in quibus non intervenit creatio.

62 *Arg. IV.* Quia creatura potest esse causa physica instrumentalis unionis hypostaticæ: ergo & creationis. *Prob. Conseq.* Quia unio hypostatica longè perfectior est substan-

tia naturali : ergo si creatura potest esse causa physica instrumentalis unionis hypostaticæ , & poterit esse creationis. *Resp.* in hoc argumento esse plura dubia ; nam non est certum , quod unio hypostatica sit absolute & simpliciter perfectior in modo essendi substantia naturali ; nam genus substantiæ est perfectior genere modi , & accidentis : cum substantia per se sit ; & modi , & accidentia non possint esse per se. *Uterius dicimus* , quod modus unionis hypostaticæ non potest fieri per veram creationem , cum non possit per se existere , ac proinde poterit produci à creatura , tanquam à causa physica instrumentali : atque adeo , licet unio hypostatica sit perfectior ente naturali creato , quantum ad modum essendi ; non tamen tanquam ad modum procedendi à sua causa : qua ratione , etsi creatura possit esse causa physica instrumentalis unionis hypostaticæ ; non tamen creationis.

63 *Arg. tandem* à quibusdam ex eo , quod ignis inferni elevatur à Deo ad producendam per creationem qualitatem doloriferam Dæmonibus , & animis damnatorum ; attamen de hoc argumento latè in Tract. de Angelis , in quo communiter negatur assumptum.

64 *Si autem quaratur* , an creatura possit esse causa moralis per obsecrationem , meritum , aut orationem creationis alicujus rei. *Resp. affirmativè*. Nam de facto qui nascuntur ex oratione , & meritis Sanctorum , ex meritis illorum habent animam creatam à Deo , & ambigere non licet in tot miraculis editis à Christo Domino , & ab ejus Sanctissima Matre , Apostolis , & Sanctis intervenisse aliquid creationis : ac proinde creaturam posse esse causam moralem creationis.

65 *Quæri hic posset* , an Deus possit creare aliquam creaturam ab æterno. Sed de hoc egimus , dum de æternitate Dei sermonem fecimus. Disquirunt hic plures de productione gratiæ , & habituum supernaturalium , an sit per rigorosam creationem ; sed de hoc agetur proprio loco.

66 Pro coronide notare oportet hanc esse differentiam inter ea , quæ producuntur per creationem , & ea , quæ producuntur à creaturis per actionem : quod ea , quæ producuntur per creationem , non dependent in fieri , & esse , nisi à so-

la causa efficienti; ea verò, quæ producuntur à causis naturalibus, dependent in fieri, & esse à subjecto, ut forma substantialis à materia, & accidens à subjecto, ut docent Aristotelici; atque adeo, etsi anima rationalis producat à Deo in corpore, quia solum à Deo pendet in fieri, & esse, & conservari; ideo propriè creatur. Unde creatio est productio termini ex nihilo independentis in esse, & fieri à subjecto.

DISPUTATIO II.

DE CAUSALITATE DEI CUM
causis creatis.

AD disquirendam causalitatem Dei cum creaturis, aliqua prænotare oportet. Et I. quod creaturae producunt, & sunt verè causa suorum effectuum: quantum fuerint aliqui Philosophi, teste D. Thoma 1. p. q. 105. art. 5. qui asseruere, quod omnia quæ à nobis asseruntur producta à causis creatis, non ab ipsis produci, sed produci à Deo ad earum præsentiam; ita ut ad præsentiam solis producit lucem, & ad præsentiam ignis producit calorem, similiterque omnia alia: ad modum quo plurium Theologorum sententia positus Sacramentis, producit Deus in recipiente gratiam, & sic solum sunt causæ morales, non vero physicae illius: pari ergo modo asseriebant Philosophi illi, Deum ad positionem, & dispositionem creaturarum res producere juxta ordinem à se præscriptum.

2. Hæc tamen cogitatio contraria est communi hominum conceptioni. Nam experientia magistra constat, quod terra producit herbam, & sol lucem; *Sed dicent*, quod experientia solum constat, quod herba producitur in terra; sed quod à terra producat, an vero immediate à Deo, ex experientia non constat: ideòque, etsi ad confutandum hunc errorem plura congerantur Argumenta ex ratione petita, quia in eis committitur petitio principii; eis non utimur.

3. Nobis fortissimum argumentum est Christi doctrina:
nam

nam Genesis cap. 1. dixit Deus: *Germinet terra herbam vi-
rentem*; sed clarissime Marci cap. 4. dixit Christus: *Ultrò enim
terra fructificat, primum herbam, deinde plenum frumen-
tum in spica. Et cum produxerit fructus, statim mittit
falcem.* Et Lucæ cap. 21. *Videte ficulneam, & omnes arbores,
cum producant, ex se fructum jam scitis quoniam prope est æstas:*
ubi clarissime docet Christus, arbores ex se producere fructus,
eosque ex se producere terram; sed producere ex se aliquid,
est esse causam illius; nam nos nihil aliud nomine causæ intel-
ligimus: datur ergo in creaturis vera ratio causæ, quæ in se
ipsis, & ex se ipsis producant suos effectus; & non solum Deus
eos producit.

ART. I. *An Deus simul cum causis creatis
immediatè, & per se concurrat effectivè
ad earum effectus, & ope-
rationes?*

4 **P**RO hujus difficultatis enodatione *notandum I.* quod
causa creata ea est, quæ ex se, & per se habet vir-
tutem ad producendum effectum. *Totalis* dicitur, cum se so-
la sine alterius ministerio, & adjutorio potest effectum produ-
cere; si autem ad productionem effectus indigeat alterius cau-
sæ consortio, tum dicitur *partialis*. Verum advertendum est
omnes causas creatas producere suos effectus media actione
realiter ab ipsis distincta; quia ejus actio potest ab eis separa-
ri, causa manente, ut constat in igne fornacis Babylonæ, in
quam missi sunt tres servi Dei, quibus nec capitis pilum ig-
nis combussit, ubi verus ignis sine actione comburendi
stetit.

5 *Notandum II.* quod in ordine causarum quædam sunt,
quæ immediatè pendent à Deo in fieri, & conservari, ut An-
gelus, anima rationalis (aliquorum sententia omnia anima-
lia) cæli, & elementa; ceteræ autem rerum species, seu mix-
ta creavit Deus, quando in principio produxit creaturam
corporalem, cui juxta cujusvis speciem dedit virtutem pro-

ducendi alias sibi similes; atque adeò earum species conservantur media Dei providentia; non eo quod prima eorum individua persistant nunc; sed solum quia à primis individuis processere cum eadem virtute alia, & ex his alia usque nunc. In hoc autem causarum genere effectus semper dependet in fieri, à causa; sed non semper dependet in conservari, cum experientia doceamur, quod mortuo gignente, genitum conservetur: & hac notione nulli Catholicorum dubium esse potest, Deum mediatè producere omnes effectus hujus generis causarum: quia virtus earum profluxit à virtute, quam indidit Deus ei causæ, quam produxit in principio creationis rerum.

6. *Notandum III.* quod causa vitales, & in iis libera ex se nullum alium effectum habent, quam suas operationes, quibus exercitè vivunt, quæ dicuntur *immanentes*, eo quod manent in subjecto. His de omni genere causarum notatis, ad exactam disquisitionem hujus difficillimæ quæstionis præ oculis habendum est, esse Fidei dogma, nihil posse fieri de novo in universo à causis creatis, nisi Deo volente, aut permittente fieri, juxta illud Sapientiæ cap. 11. n. 26. *Quomodo autem possit aliquid permanere, nisi tu voluisses.* Et de actibus liberis id clarius habetur ex novo Testamento; nam Apostolus Epist. 1. ad Corinthios cap. 16. v. 7. ait: *Spero enim aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit.* Et ad Hæbreos cap. 6. n. 3. *Et hoc faciemus si quidem permiseris Deus.* Quibus locis omnium interpretum consensu, verbum *permiserit* idem valet ac *si Deus voluerit*; nam permissio propriè accepta, solum est peccatorum, & opera, quæ Apostolus in animo habebat exequi, erant opera bona. Clarissimè autem Jacobus epist. sua cap. 4. v. 13. Ubi reprehendit morem aliquorum fidelium, qui dicebant: *Hodie, aut crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum; & mercabimur, & lucrum faciemus.* Quibus subjungit: *Pro eo ut dicatis, si Dominus voluerit; & si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.* In quo conveniunt omnes PP. omnesque Catholici.

7. Status ergo præsentis quæstionis fiat in eo: an Deus ultra virtutem, quam dedit causis naturalibus, & liberis, &

voluntatem generalem, qua voluit suos operari effectus, immediate, & per se concurrat effectivè ad earum effectus, & operationes, seu, quod idem est: an concurrat simultaneo concursu immediate cum causis creatis ad earum effectus, & operationes. Qua difficultate Durandus in 2. dist. 1. q. 5. & dist. 37. quæst. 1. docuit: Deum, constituto ordine causarum, & voluntate generali, quod suos effectus operentur, ad illos non concurrere per se, & immediate. Hæc opinio antiquior est Durando, nam eam refert B. Albertus Magnus in 2. dist. 35. art. 7. eamque Pelagianismi nota incurrunt aliqui Theologi; sed alii ab hac labe liberant. Verum plures Theologi judicant erroneam, quorum censuras lato calamo referunt Recentiores aliqui; sed quo jure, in examen veniet postea. Durandi sententiam sequuntur ex ordine Capucinorum, Frater Ludovicus Dola in lib. cui Titulus: *Disputatio quadripartita* citatis pro se Durando, Raynerio Armacano, Sarnano, Petro de Aquina, Tartareto, Pelbarto, & aliis; ac tandem Frater Martinus de Torrecilla ejusdem instituti in lib. 2. Physic. quæst. 4.

8 Communis Theologorum sententia, tam Thomistarum quam Scotistarum, Jesuitarum, atque aliorum tenet, Deum cum causis secundis immediate concurrere, ad earum effectus & operationes.

9 *Prob. I.* communis sententia ex verbis Christi apud Joannem cap. 5. v. 17. Quibus depulit calumniam Judæorum putantium ipsum sabbatum solvere, eo quod sabbato opera miraculosa faceret, dicens: *Pater meus, usque modo operatur; & ego operor*: quasi diceret: *Si Pater meus non cessat operari, etiam in sabbato; & mihi licebit sabbato facere opera miraculosa*. Ex quo sic conficitur argumentum: Deus continuè operatur; sed non operatur novas rerum species; quia ab eis creandis septimo die requievit, seu cessavit: ergo solum continuè operatur specierum individua; at individua sunt producta à causis creatis: ergo simul cum illis ea producit Deus, & operatur.

10 *Dices tamen* quod ad verificandam propositionem Christi, non est necessarium, quod Deus immediate coopetur causis creatis ad earum effectus, & operationes. Nam

Deus continuò creat hominum animas, & universi machinam conservat, gubernat, & administrat; cumque conservatio sit continuata productio, Deus usque modò operatur, quin immediatè cooperetur causis creatis ad earum effectus, & actiones: atque sic intellexere Joannis locum Chrysostomus, Augustinus, & Cyrillus Alex. apud Cornelium; quanquam Div. Augustinus lib. 5. de Genesi ad lit. cap. 20. non sic intellexerit: nam ait, *Jam nunc ergo discernamus opera Dei, quæ usque nunc operatur, ab illis operibus, à quibus in die 7. requievit. Sunt enim qui arbitrentur, tantummodo Mundum ipsum factum à Deo: cetera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit, & jussit; Deum autem ipsum nihil operari: contra quos profertur illa Sententia Domini, Pater meus usque nunc operatur. Ubi nota & adverte Augustinum non fugillare opinionem quam refert; sed de hoc postea.*

11 *Prob. II.* Quia Deus cum causa creata producit effectum, sed hoc est cooperari immediatè ad illum: ergo Deus immediatè cooperatur cum causa creata ad ejus effectum. *Prob. Maj.* quia Deus, ut habetur. Psalm. 103. & 146. *Producit in montibus fœnum & herbas servituti hominum.* Et Matth. 6. v. 30. *Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in elibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei;* Sed fœnum producitur à terra, ut à causa: ergo Deus immediatè eum terra producit fœnum.

12 *Confirm.* Nam corpus humanum, quod formatur in utero faminae, ab ipsa famina producitur quantum ad ossa, nervos, cartilagineas, carnem, & pellem; sed hæc immediatè operatur Deus: ergo Deus operatur immediatè cum famina, quæ est causa creata, effectum humani corporis. *Min. prob.* ex verbis Job cap. 10. *Manus tue fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu:: Pelle, & carnibus vestisti me: ossibus, & nervis compegisti me.* Et clarissime mater Martyrum Sanctorum Machabæorum eos adhortans ad fortiter subeunda tormenta, eis dixit: *Nescio qualiter in utero meo apparuistis: nec enim ego spiritum, & animam donavi vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi; sed mundi creator, qui formavit hominis nativitatem.* Ex quibus locis patet Deum simul cum faminis operari humani corporis structuram, seu formationem.

Nec.

13 Nec prædicta verba accipi possunt de causalitate solum mediata. Tum quia alio modo dicitur Deus formator corporis humani, quam ipsa scēminæ: qua ratione mater Machabæorum dixit: *Singulorum membra non ego ipsa compegi*; quia potiores partes in compactione membrorum tribuit Deo: at ad formationem membrorum ipsa concurret immediatè effectivè: ergo & Deus ad formationem membrorum concurret immediatè effectivè. Tum quia seminato grano tritici, Deus dat illi corpus, sicut vult, ut docet Apost. 1. ad Corinth. cap. 15. v. 38. Si autem grano seminato dat Deus illi corpus, prout vult, producit immediatè corpus illius; nam si solum produceret granum per voluntatem generalem, qua dedit virtutem causis creatis, ut suos effectus producerent: non diceret, quod unicuique grano dat corpus, sicut vult: ergo ex prædictis locis inferitur Deum immediatè producere ipsosmet effectus, qui à causis creatis producuntur.

14 Præmissa etiam solutio contraria est D. Augustin. lib. 5. de Genesi ad lit. cap. 20. ubi ait: *Jam nunc ergo discernamus opera Dei, quæ usque nunc operatur; ab illis operibus, à quibus in die septimo requievit*: ubi clarè secernit opera Dei, quæ nunc operatur ab operibus primæ creationis, in qua dedit causis creatis virtutem producendi suos effectus. *Sunt enim, qui arbitrentur tantummodo, Mundum ipsum factum à Deo; cetera jam fieri ab ipsa Mundo, sicut ille ordinavit, & jussit, Deum autem ipsum nihil operari: contra quos proferatur illa sententia Domini: Pater meus usque nunc operatur.* Qui sic opinabantur, non opinabantur causas creatas non accepisse à Deo virtutes suos effectus producendi; sed asserabant causas creatas accepta virtute, cetera in Mundo operari juxta actionem præscriptam à Deo, Deum autem nihil immediate operari: cum negare non possent, Deum mediate operari cum causis creatis virtutem operandi, quæ est ipsissima sententia Durandi. Concluditque Augustinus his verbis: *Sic ergo credamus, vel si possumus etiam intelligamus, usque nunc operari Deum, ut si conditis ab eo rebus, operatio ejus subtrahatur, intercitant.* Alii PP. non ita dilucide loquuntur.

15 Ratione purè naturali demonstrare difficile judico.

Pro-

Probatur tandem I. Quia omnis effectus causæ naturalis conservatur immediate à Deo : ergo omnis effectus causæ naturalis producitur immediate ab ipso. *Ant. mihi certum videtur* ; quippe Deus est auctor immediatus rerum omnium ; quin aliquid effugiat ejus causalitatem. *Conseq. autem prob.* Quia conservatio est continuata productio : ergo si omnis effectus creatus immediate conservatur à Deo : omnis ab ipso immediate producitur.

16 *Nec valet dicere*, quod omnes effectus causæ creatæ dependent à Deo mediatè ; sed non omnes dependent immediate à Deo , uti peccatum , & alia hujusmodi ; quia talis propositio de causalitate immediata non habetur expressa in Scriptura , nec in SS. Patribus. *Non , inquam , id valet* , quia ad hoc ut aliquid sit omnino certum , non est necessarium , quod terminis formalibus contineatur in Scriptura , & PP. sed sufficit , quod virtualiter , aut æquivalenter , ut in hac propositione : *Christus est risibilis* , quæ sub his terminis non continetur formaliter in Scriptura. Unde cum rerum omnium conservatio Deo immediate tribuatur : inde immediate tribuitur productio , cum conservatio sit ipsius rei continuata productio.

17 Etenim Deus creata creatura , dataque ei facultate producendi suum effectum ; cum non possit non agere , nisi ut causa prima præparata omnipotentia in ipso instanti , quo operatur causa secunda : operatur cum illa ut causa prima ; & quia ratio causæ universalis nil exigit , & effectus causæ particularis id exposcit ; quippe non operatur ut causa prima , sed ut causa secunda.

18 *Sed dices* : ergo Deus ut causa prima operatus est negationem S. Petri formaliter ut talem ; quod ablegandum est à Deo , qui per se odit peccatum. Nam Deus operatur immediate ad actionem cujuslibet creaturæ. Ad hoc argumentum , quod est potissimum sententiæ contrariæ , respondent nostræ sententiæ Auctores , notando , quod Deus dupliciter potest dici causa peccati ; primo ex propria intentione , & determinatione per se ; secundo ex alterius determinatione , & munere causæ primæ , & universalis determinatæ à causa secunda particulari ; & hoc modo non esse causam negationis S.

S. Petri; sed solum pro materiali, & ut actio physica est; non vero concurrere ex propria intentione, & determinatione, quod erat necessarium ad veram rationem formalem peccati. Quapropter Deus non potest dici causa formalis peccati, sed pure materialis, & physica illius.

19. *Sed insurges*: ergo Deus in causis naturalibus liberis, quæ non habent aliquem respectum ad Deum ut auctorem supernaturalem, eodem modo concurrit ad actus bonos, ac ad actus malos, quod nullatenus dici potest; quippe in his actibus ita Deus applicat omnipotentiam, ut pro solo nutu creaturæ producat effectum bonum, aut malum: ergo in his causis sicuti non tribuitur Deo effectus malus: ita non potest tribui effectus bonus.

20. *Resp.* magnam esse differentiam inter effectus malos, & inter effectus bonos: nam Deus natura beneficus, & per se summe inclinatus ad bonum, semper desiderat bonum effectum ex sua cooperatione: unde potius desiderat bonam operationem, quam malam, ad quam solum trahitur determinatione propria voluntatis; at verò ad operationes bonas suggerit cogitationes sanctas ordinis naturalis, per quas dicitur earum Auctor.

21. *Probant alii.* Quia si Deus non concurreret immediate effective ad effectum causæ creatæ, illum annihilare non posset; at hoc asseri nequit: ergo Deus concurrit immediate effective ad effectum causæ creatæ. *Prob. Maj.* Nam Deus alia ratione non potest annihilare effectum causæ creatæ, nisi suspendendo concursum, quo illum creat: ergo si non haberet concursum immediatum effectivum illius, non posset illum annihilare.

22. *Respondent Adversarii*: quod Deus ut causa secunda possit operari, solum requiritur, quod annuat sua voluntate; atque adeo ipso non annuente, nil potest efficere causa creata. At hoc est dicere, quod ad existentiam omnis effectus causæ creatæ est necessarius, quod annuat Deus causæ creatæ; hoc autem fieri non potest, nisi concurrendo cum causa creata: ergo est necessarium Deum ipsum concurrere ad effectum cum causa creata; alioquin Deus non posset dici causa immediata omnium creaturarum, cum aliqua actio fiat sine

con-

concurſu immediato omnipotentia, quod pia aures obſervare non poſſunt. Cenſuram oppoſita ſententia aliis relin-
quimus, contenti noſtram ſententiam affirmare.

ART. II. *An Deus prædeterminet phyſicè
cauſas creatas ad earum opera-
tiones?*

23 **Q**UAESTIO præſens una ex eis eſt, quæ ad finem ſæ-
culi XVI. gravi partium diſſidio cœpere exa-
gitari adſerentibus Dominicanis, ſuffragan-
tibusque eis additis; & reclamantibus Societatis Jeſu Theo-
logis plariſque aliis. Utraque pro ſe gravia ſcripta dedit;
bibliothecaſque libris implevit; nec finem accipiet cauſa, ni-
ſi Apoſtolica Sedes dirimerit litem. Nos brevitati, & utilita-
ti conſulentes, curabimus tollere ambages, & verborum
æquivocationes, quarum plurimus eſt uſus apud aliquot Au-
ctores, ut vis argumentorum deturbetur.

24 Præſata natura, & eſſentia cauſæ neceſſariæ, & liberæ
ab omnibus receptæ. Nam cauſa *neceſſaria* eſt, quæ poſitis re-
quiſitis ad agendum, neceſſariò per ſuam virtutem producit
effectum; ita ut ſit miraculum non producere, ut contingit
in igne fornacis Babylonice, qui Dei ſervos non combuſſit.
Cauſa autem *libera* ea eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis ad
agendum, poteſt agere, & non agere: operari, & non opera-
ri: elicere actum, & non elicere: hoc eſt, *diſjunctivè* unum,
aut aliud: nam agere, & non agere *copulativè*, ſeu ſimul im-
plicat contradictionem: & hæc relegat omnem poſſibilita-
tem.

25 Notanda eſt nunc prædeterminationis natura, & quæ-
ſtionis ſtatus. Prædeterminatio, prout à ſuis auctoribus aſſe-
ritur, eſt quid reale phyſicum per modum qualitatis, ſeu mo-
tionis, quo cauſa ſecunda determinatur à cauſa prima ad
operandum; ita ut poſita in cauſa ſecunda, hæc non poſſit
non operari, implicetque cauſam ſecundam prædetermina-
tam ad operandum, ceſſare ab operatione: nam cauſa forma-
lis

lis in subiecto capaci, non potest esse sine suo effectu, ad modum quo intellectio non potest esse actu in intellectu, nisi constituat illum intelligentem; atque adeò implicat prædeterminationem inexistere in causa creata, & hanc non existere prædeterminatam. Hinc status quæstionis inducit necessario prædeterminationem conjunctam cum causa creata, sensumque compositum prædeterminationis, & causæ creatæ: nam prædeterminatio separata à causa creata realiter, illam non potest prædeterminare, sicuti albedo separata à pariete, illum non potest constituere album. Separatio autem præcisiva, & intellectualis prædeterminationis à causa creata nihil officit ad præstandos ejus physicos, seu metaphysicos effectus; quia in hoc non dependet à nostro modo concipiendi, uti notum fit cuilibet perspicuè consideranti.

26 *Dicendum*, quod Deus nec prædeterminat ad operandum causas necessarias, nec causas liberas. Hæc sententia est communior sæcularibus Theologis ab exordio permotæ controversiæ. Prima pars de causis necessariis facile probatur: quia causa, quæ ex se & ex natura sua est determinata ad operandum positis omnibus requisitis, non indiget alia determinatione; sed causa necessaria positis omnibus requisitis ad operandum, ex se & ex natura sua est determinata ad operandum: ergo positis omnibus requisitis non eget alia determinatione ad operandum. *Maj. est per se nota, Min. est ipsissima definitio causæ necessariæ: & consequentia est legitima.*

27 Præcipua autem difficultas stat in causa libera; sed prob. nostra sententia: nam si Deus prædeterminaret causam liberam ad suos actus, tales actus non essent liberi; sed hoc asseri non potest à Catholico Theologo: ergo Deus non prædeterminat causam liberam ad suos actus. *Prob. Maj.* Nam Deo prædeterminante voluntatem creatam ad amorem, *Ex. Gr.* amor non potest esse liber: ergo Deo prædeterminante ad amorem, ipsa prædeterminatione tolleret libertatem actus. *Prob. Ant.* Implicat voluntatem à Deo prædeterminatam ad amorem in sensu composito prædeterminationis ad illum, amorem omittere: ergo amor non potest esse liber. *Prob. Conseq.* Quia ut amor sit liber in sensu composito præ-

determinationis, in eodem sensu composito debet esse possibilis omisio: ergo si in eodem sensu composito prædeterminationis ad amorem implicat omisio amoris, erit omni modo impossibilis omisio: quia quod repugnat, & implicat, nullo modo est possibile.

28 *Nec valet dicere*: quod in sensu composito actus amoris est impossibilis, & repugnans ejus omisio; non verò est impossibilis in sensu composito prædeterminationis. *Non, inquam, id valet*: nam ut jam in notatis præmisimus, quæstionis status est in sensu composito prædeterminationis cum voluntate pro priori ad actum: unde tota quæstio pendet à veritate, aut falsitate hujus propositionis: *Implicat voluntatem prædeterminatam ad amorem, illum omittere*. Si enim est vera, uti communiter docent Thomistæ: omisio est omnino impossibilis voluntati creatæ prædeterminatæ ad amorem: quia id quod implicat, est omni modo impossibile, & consequenter nullo modo possibile; quod ad libertatem actus est omnino necessarium.

29 Si autem prædicta propositio est falsa: ergo prædeterminatio ad amorem in voluntate creata non habet connexionem metaphysicam cum amore: ergo voluntate prædeterminata ad amorem potest saltem per miraculum stare, quod amor non existat. *Prob. hæc consequentia*. Quia in voluntate prædeterminata ad amorem potest stare per miraculum omne id, quod non habet repugnantiam metaphysicam cum voluntate, nec cum prædeterminatione ut voluntati conjuncta; sed omisio amoris non habet repugnantiam metaphysicam, nec cum voluntate, nec cum prædeterminatione conjuncta in hoc modo dicendi: ergo poterit per miraculum stare, quod voluntas sit prædeterminata ad amorem, & quod amor non existat.

30 *Ex his sequitur*, quod si prædeterminatio ad amorem non habet connexionem metaphysicam cum illo; ad summam habebit connexionem naturalem, & necessariam cum illo. *Ex quo etiam infertur*, quod tollat libertatem ab actu. Nam causa, & principium, quod habet connexionem naturalem, & necessariam cum effectu, seu actu, non est causa libera illius, sed necessaria, & naturalis; sed voluntas prædeterminata ad

amorem habet connexionem naturalem cum illo : ergo est causa necessaria, & naturalis illius, & consequenter non libera. Si autem prædeterminatio nec habet connexionem metaphysicam, nec physicam cum actu : nullo modo erit necessaria ad actum ; ac proinde inutile erit ejus Systema.

31 Hinc disjectæ manent aliæ formulæ, quibus solis verbis conantur Auctores contrarii eludere vim præmissi argumenti. Hoc enim ipso, quod voluntati prædeterminatæ ad amorem in sensu composito prædeterminationis repugnet amoris omisio ; non solum est impotentia in voluntate ad conjungendum amorem, & omisionem ; sed etiam est impossibilis potestas ad omisionem : ac proinde in voluntate prædeterminata ad amorem non potest stare simul potestas ad omisionem nec exercitè, nec signatè ; nam ubi est repugnantia, & implicatio, stante ea hypothesi, nulla potest esse possibilitas.

32 Ut autem appareat efficacia hujus argumenti, suppetunt nobis Confirmationes dux ex sententia contraria. *Prima quidem* : nam quia in sensu composito unionis hypostaticæ cum humanitate repugnat ei peccatum ; in sensu composito unionis nullo modo est possibile humanitati peccatum. *Secunda* : similiter, quia beato in sensu composito visionis claræ Dei repugnat peccatum ; in sensu composito illius nullo modo est ei possibile peccatum : ergo similiter si voluntati prædeterminatæ ad amorem in sensu composito prædeterminationis repugnat amoris omisio ; in sensu composito prædeterminationis nullo modo erit possibilis omisio amoris. *Tunc sic* : sed ad libertatem amoris est necessarium, quod omisio sit possibilis : ergo si voluntati prædeterminatæ ad amorem in sensu composito prædeterminationis ad illum, nullo modo est possibilis ejus omisio : in sensu composito illius actus amoris non potest esse liber.

33 *Prob. II. nostra sententia.* Quia si Deus prædeterminaret voluntatem creatam ad ejus actus liberos : prædeterminaret etiam illam ad actum peccati, essetque per se peccati auctor ; sed hoc catholicè asseri non potest : ergo Deus non prædeterminat voluntatem creatam ad ejus actus liberos. *Prob. Maj.* Quia agens liberum in tantum est per se causa

peccati, in quantum se determinat liberè ad actum peccati; sed in sententia contraria Deus prædeterminat, & determinat liberè voluntatem creatam ad actum peccati: ergo Deus est per se causa peccati.

34 *Communis solutio adversariorum est*, quod in peccato sunt duo considerata, unum *materiale* ipsius peccati, quod est entitas positiva ipsius actionis, quæ non potest subterfugere Divinam causalitatem; aliud *formale* ipsius peccati, quod est ipsa malitia, prout formaliter deviat à lege, ac Deum prædeterminare voluntatem creatam ad materiale peccati, quod est quid positivum; non verò ad formale peccati, in quo stat ipsa formalis malitia peccati: ac proinde per prædeterminationem non est Deus per se causa peccati.

35 Hæc tamen solutio nullatenus cludit vim facti argumenti. Nam materiale peccati cum deliberatione, & libertate elicitum à voluntate, nunquam potest præscindere à malitia; sed Deus prædeterminat voluntatem creatam ad materiale peccati cum deliberatione, & libertate: ergo non potest Deus illam prædeterminare ad materiale peccati, quin illam prædeterminet ad formalem malitiam peccati. *Prob. Maj.* Nam materiale peccati cum deliberatione, & libertate elicitum à voluntate necessariò est contrarium legi: ergo nunquam potest præscindi à malitia. *Ant. est certum; Conseq. prob.* Quia ratio formalis malitiæ peccati stat in contrarietate actus ad legem, stante libertate, & deliberatione actus juxta illud Apostoli: *Ubi non est lex, non est prævaricatio*: ad Romanos cap. 4. v. 5. Theologis commune; sed materiale peccati elicitum cum deliberatione, & libertate necessariò est contrarium legi: ergo cum deliberatione, & libertate elicitum necessariò contrahit rationem formalem malitiæ. At Deus sententia contraria prædeterminat voluntatem creatam ad materiale peccati, quatenus liberum, & præcedente deliberatione realiter oppositum legi: ergo prædeterminat ad materiale peccati, quatenus formaliter peccatum est.

36 *Urgetur.* Nam odium Dei deliberatè & liberè elicitum, nunquam potest præscindere à malitia: ergo Deus non potest voluntatem creatam ad illud prædeterminare, nisi præ-

determinet quatenus formaliter malum. *Prob. ant.* Nam odium Dei deliberatè & liberè elicitum, non potest non esse oppositum legi Dei aeternæ, & invariabili, & immutabili, prohibenti odium ipsius; sed hoc ipso, quod sit oppositum legi Dei ipsi prohibenti, non potest non esse formaliter malum: ergo non potest Deus prædeterminare voluntatem creatam ad odium Dei deliberatè & liberè elicitum, nisi prædeterminet ad illud quatenus formaliter malum. *mens. illa de non exal*

37 *Nec valet dicere*: quod in odio Dei & est quid positivum actionis, cujus Deus est causa immediata; & est defectus & privatio rectitudinis ratione oppositionis ad legem, quæ sunt rationes valde diversæ: ac proinde non sequi, quod Deus prædeterminet ad formale malitiæ odii Dei, ex eo quod prædeterminet ad positivum ipsius: cum possit reperiri positivum odii Dei sine malitia, ut contingit in amentibus & fatuis, qui Deum odio habent sine specie malitiæ. *versus in libris*

38 *Non, inquam, id valet*: quia, etsi odium Dei possit reperiri sine malitia, ut contingit in amentibus; attamen odium Dei deliberatè & liberè elicitum non potest à malitia præscindere, cum sit oppositum legi id prohibenti semper, & pro semper, & immutabiliter: ergo ut deliberatè & liberè elicitum, semper est formaliter malum, & non potest Deus ad illud prædeterminare voluntatem creatam, quin prædeterminet ad illud, qua formaliter malum. *Uterius.* Quia sententia adversariorum Deus prædeterminat voluntatem creatam ad odium ipsius, ut eliciendum, & ponendum ab ipsa voluntate creata, ut liberè operanti; sed odium Dei, ut liberè ponendum à voluntate creata, non potest non esse formaliter malum: ergo Deus non potest prædeterminare voluntatem creatam ad odium ipsius, ut eliciendum liberè ab ipsa, quin prædeterminet ad illud, qua formaliter malum. *ipsa, ipsa*

39 *Denique.* Nam Deo prædeterminante ad materiale odii ipsius voluntatem creatam, vel potest voluntas creata elicere odium sine malitia, ut operans deliberatè & liberè; vel non potest illud sine malitia ponere: si non potest illud ponere, & elicere sine malitia: ergo Deus prædeterminans voluntatem creatam ad materiale odii ipsius, non exequibile sine malitia, necessariò prædeterminat illam ad odium, ut
TRA for-

formaliter includens malitiam. Quod autem voluntas creata possit elicere purè materiale odii, operans liberè & deliberatè, est à parte repugnans: quia actus positivus liberè & deliberatè elicitus non potest non esse formaliter malus, si est contra legem æternam.

40. Nec est alicujus momenti, quod sapissime inculcant de malitia formali peccati, quæ est carentia rectitudinis. Nam hæc non est alia, quam discordantia à lege, quæ cum una sit positiva, & alia negativa: est rectitudo positiva, & est etiam rectitudo negativa (*Qui potuit facere malum, & non fecit*) carentiaque rectitudinis simili modo alia est carentia rectitudinis positiva, & alia rectitudinis negativa: rectitudo negativa præcepti negativi, non tollitur, nisi per ejus contradictorium, quod est positivum: sicut tenebræ non tolluntur nisi per positivum lucis. Unde cum privatio rectitudinis negativæ non possit existere, nisi per actum positivum oppositum præcepto negativo: ipsa malitia, & carentia rectitudinis stat in ipso positivo actus, ut deliberatè & liberè elicitò. De hoc latius in quæstione de constitutivo peccati commissionis.

41. *Aliud est argumentum* pro nostra sententia ex tract. de gratia, quod hic solum prælibare libet. Nam si prædeterminatio esset necessaria simpliciter ad omnia opera salutaria, nulla esset gratia sufficiens; sed hoc à Catholicis asseri nequit: ergo ad opera salutaria non est simpliciter necessaria prædeterminatio. *Prob. Maj.* Quia id dicitur simpliciter sufficiens ad aliquem finem consequendum, quo solo, omni alio secluso, licet finem consequi, ut patet in victu sufficienti ad conservandam vitam, & in medicamento sufficienti ad recuperandam sanitatem: nam id, quo solo finem consequi non licet, nequit dici sufficiens ad finem consequendum: ergo si ad opera salutaria ultra gratiam sufficientem requireretur prædeterminatio, gratia sufficiens non esset vere talis: sed de hoc latius disserturi (*Deo favente*) in tractatu de gratia.

ART. III. *Solvuntur argumenta.*

42 **A**RG. I. *contra nostram sententiam.* Quia Deus pro priori determinat actionem creaturæ; sed hoc est illam prædeterminare ad operandum: ergo Deus prædeterminat creaturam ad operandum. *Prob. Maj.* Quia Deus pro priori determinat suos effectus, cum sit agens liberum, operans ex propria determinatione; sed actio creaturæ est effectus Dei: ergo actio creaturæ est pro priori ex determinatione Dei. *Major est certa, & Min. constat:* quippe nihil est in rerum natura, quod non sit effectus Dei præter peccatum: & *Conseq. tenet.*

43 *Resp.* omissa sententia Durandī & Sequacium, quod licet Deus determinet suos effectus, quos solus positive & immediate producit; non tamen eos effectus, quos producit cum causa libera secunda; quippe hos producit ut determinatus à creatura, ut illasam conservet eorum libertatem: nam hoc exposcit ratio causæ primæ, ut cæteræ causæ juxta suum modum operentur, & ordo universi servetur: quapropter in effectibus, quos causæ liberæ operantur, Deus non operatur immediate tanquam determinans; sed potius tanquam determinatus à creatura.

44 *Arg. II.* Quia id quod est indifferens, operari non potest, nisi determinetur; sed omnis causa creata, sumpta in actu primo, est indifferens: ergo operari non potest, nisi determinetur; sed non potest determinari nisi à Deo: ergo omnis causa secunda à Deo determinatur ad operandum.

25 *Resp.* quod, licet id quod est indifferens non possit operari nisi determinetur ab alio, vel à se; non est necessarium ut ab alio præcisè determinetur; hoc enim convenit causis instrumentalibus, & aliis hujusmodi: cæterum causæ naturales ex se & ex natura sua determinantur ad suas operationes: & ipsa operatio est formalis determinatio, qua tollitur indifferentia in actu primo, & constituuntur determinatè operantes

tes in actu secundo. Causæ autem liberæ se formaliter determinant per suos actus, & per illos tollunt indifferentiam, quam habent ad operandum, aut non operandum: unde in illis determinari ad operandum non est quid prævium ad operationem; sed est ipsa operatio, qua causa necessariò constituitur operans. Ex quo facile resp. in forma.

46 *Arg. III.* Quia omnis causa secunda operatur, ut mota à prima; sed non potest ab illa moveri, nisi determinetur: ergo omnis causa secunda operatur, ut determinata à prima. *Maj. prob.* Nam omne quod movetur, ab alio movetur: ergo cum causa secunda movetur ad operandum, ab alia causa movetur; sed non potest esse alia, à qua moveatur, nisi causa prima: ergo causa secunda movetur ad operandum à causa prima.

47 *Resp.* hujus arg. vim totam stare in hæc propositione: *omne quod movetur, ab alio movetur*, quæ universaliter accepta omnino est falsa. Nam viventia à non viventibus in hoc distinguuntur juxta omnes Theologos & Philosophos, quod viventia se movent operando, hoc est, eliciendo suam operationem ex virtute propria; inanimata verò cum moventur, ab alio moventur; quia non habent in se principium sui motus: cum autem causæ naturales & liberæ habeant in se principium sui motus, scilicet virtutem operativam; inde est quod, ut operentur, non egent ut moveantur, & determinentur ab alio. Nam causæ naturales ex propria natura sunt determinatæ ad operandum, & liberè se ipsis se determinant ipsa operatione. Ex quo facile est respondere in forma. Nostræ autem sententiæ præjudicium auctorum oppositæ sententiæ in eo stat, quod censent, quod determinatio ad operandum debet esse aliquid prævium ad operationem; & Nos non eam distinguimus ab ipsa operatione causæ secundæ.

48 *Arg. IV.* Quia causa secunda necessariò debet operari ut subordinata causæ primæ: ergo necessariò operatur ut mota, & determinata à causa prima. *Ant. est certum, & Conseq. prob.* Quia in causis subordinatis inferior movetur, & determinatur à superiori; sed causa secunda est subordinata causæ primæ in operando: ergo in operando movetur, & determinatur à causa prima.

Resp.

49 *Resp.* quod subordinatio causarum instrumentalium stat in hoc, quod non possint operari, nisi mota & determinata à causa principali; ceterum subordinatio causarum secundarum principalium non stat in hoc quod peculiariter moveantur, & determinantur ad operationem; sed in hoc quod operari non possint, nisi Deo volente, aut permitte, & quocunque sublato non potest operari. Ex quibus facile est resp. in forma. Hæc sunt præcipua argumenta sententiæ nobis oppositæ, ex quorum solutione alia facile dissolvi possunt. Sunt etiam alia, quæ propriè pertinent ad Tract. de Gratia efficaci de quibus ibi, Deo annuente.

ART. IV. *An Deus determinet causas creatas ad individuum effectus, & actionis?*

50 **P**RO quo notandum est, quod qualibet causa creata potest producere plures effectus ejusdem rationis, ut ignis calorem A. calorem B. & &c. Similiter causæ libere ex se possunt exerceri per amorem A. amorem B. &c. Unde quaeritur à quo determinantur ad effectum A. potius, quam B, aut ad exercitium, seu actionem A. potius, quam B. In quo certum est, quod causæ naturales, quæ produciunt effectus corporales, produciunt determinatè suos effectus ex determinata materia, & corporeitate, ex qua tales effectus constant, quia sunt tales individuo per suam entitatem corporalem, in quantum hæc non est illa: ad modum quo vasa figuli distinguuntur numero ex diverso numero, massa luti sub diversis configurationibus, prout Deus ab initio disposuit, in quo non oportet diutius scrutari, sed venerari profundo silentio abyssum Divinæ sapientiæ.

51 Quantum autem ad alios effectus, & actiones aliqui censent, quod causæ naturales, & libere determinantur ad A. potius, quam ad B. ex variis circumstantiis temporis, loci, & aliarum; attamen probabilior sententia tenet causas necessarias, & liberas determinari in individuo à Deo supremo

Auctore naturæ. Tum quia sub eisdem circumstantiis temporis, & loci calor A est talis per suam entitatem, quæ est diversa realiter à circumstantiis: ergo à circumstantiis non potest determinari ad esse tale; quia sub eisdem circumstantiis potest sic ignis producere calorem A, aut calorem B. Hoc autem facilius apparet in causa libera; quæ non dependet in operando à circumstantiis temporis, & loci: voluntas enim creata sub eisdem circumstantiis potest amare, & non amare; amare, & odio habere: amare intensiōe ut duo, & intensiōe ut quatuor: ergo quod amet hoc numero amore, potius quam alio, non potest provenire à circumstantiis, sed necessariò debet provenire ex determinatione Dei, nimirum negativa.

ART. V. An Deus ex se, & per se prædefiniat actus liberos creaturæ ante prævisum earum consensum, seu determinationem?

SUPPOSITO, quod causæ naturales sunt ex propria natura determinatæ ad operandum, & quod Deus eas determinat ad operationem, & effectum, in individuo restat nunc disquirere de causis liberis: an Deus, esto eas non prædeterminet per aliquid physicum intrinsecè receptum in eis, quia contrarium libertati; saltem determinet earum operationes decreto prædefinitivo intrinsecè existente in Deo, nihilque ponente in creatura antecedenter ad liberam creaturæ determinationem. Sunt enim Theologi, qui negantes prædeterminationem, docent Deum æterno, & immutabili decreto prædefinire omnes actus voluntatis creatæ antecedenter ad ejus determinationem; quia cum tale decretum nihil ponat in voluntate creatæ, sitque illi extrinsecum, non immutat modum operandi illius, ac proinde conservat ejus libertatem.

Dischibitio nobis, quod Deus ante prævisam operationem

nem voluntatis creata non prædefinit, nec determinat ejus operationes decreto antecedenti, immutabili connexo infallibiliter, & essentialiter cum eis. Ita communius Theologi. *Prob. nostra sententia* eodem argumento, quo prædeterminationes rejicimus. Nam prædicta prædefinitio, & decretum antecedens, licet nihil ponat in voluntate creata; est connexum essentialiter cum actu, qui est ejus objectum, vel non est connexum essentialiter cum illo. Si est connexum essentialiter cum actu, necessario resultat implicatio carentiæ actus: ergo non est possibilis ullo modo carentia actus: ergo stante tali prædefinitione & decreto, actus non potest esse liber; quia, ut diximus, ad libertatem actus est necessarium essentialiter, quod sit possibilis ejus carentia: & ubi est repugnantia aliqua possibilitas esse non potest.

54 *Urgetur.* Quia prædefinitio, & decretum actus liberi (modo dicto) habet essentialem connexionem cum actu ex subordinatione intrinseca voluntatis creata cum voluntate Divina; sed hæc subordinatio est omnino intrinseca voluntati creata: ergo stante hac subordinatione, est in voluntate creata essentialis, & intrinseca connexio cum actu: & consequenter non potest esse libera ad illum, uti ex dictis patet: quia voluntas creata non potest esse libera ad actum, nisi sit proxime potens ponere omissionem, & hæc implicat, stante connexione essentiali prædefinitionis, & decreti cum actu.

55 *Uterius potest probari nostra sententia* ex eo, quod si Deus prædefiniret, & decerneret omnes actus liberos voluntatis creata: prædefiniret, & determinaret actum peccati, essetque causa prima, & per se illius (prout probabimus agentes de prædeterminatione) quod est alienissimum à Dei sanctitate. Tandem Ethnici, & Mahometanorum pars magna non alia ratione negarunt, hodieque negant libertatem humanarum actionum, nisi quia concipiunt ex æternis decretis omnia infallibiliter evenire.

56 Ex his disjicitur quorundam Theologorum sententia, qui docent, quod Deus præscindens à scientia media, potest infallibiliter prædefinire, & decernere consensum liberi creatura; quia per scientiam necessariam cognoscit sibi suppetere plura media ad obtinendum consensum liberum

creatura: ac proinde ex sola hac scientia potest prædefinire consensum liberum illius.

57. Ista enim sententia supponit in creatura necessitatem vagam consentiendi alicui representationi allicienti ad consensum: & aliunde in nulla determinatè esse connexionem infallibilem cum consensu. *Ex quibus sequitur*, quod talis prædefinitio aut tollat libertatem, aut infallibilis esse non possit. Nam si prædefinitio ex se, & per se est antecedens, & infallibilis connexa cum consensu, tollet libertatem consensu, ut dictum est; ex medio autem non potest esse infallibilis; quippe nullum est connexum cum consensu ex se, & per se: ergo talis prædefinitio infallibilis esse non potest.

58. *Dices*: quod licet nullum medium determinatè sumptum sit connexum cum consensu aliquod vagè sumptum; est connexum cum consensu, & virtute hujus connexionis potest Deus prædefinire consensum. *Sed contra est*. Nam esto in tota collectione auxiliorum, & mediorum aliquod vagè sumptum habeat connexionem cum consensu; consensus in executione poni non potest, nisi sub illo medio, aut auxilio, sub quo determinatè voluntas consentiet; sed hujus cognitio non potest stare sine scientia hujus determinati auxilii, aut medii: ergo sine scientia illorum illa prædefinitio non est executibilis, & consequenter infallibilis omnino: ac proinde necessarius est semper usus scientiæ mediæ.

59. Aliqui Scotistarum, in quibus præcipuus est Mastrius, respuentes Thomistarum prædeterminationem, & prædefinitionem, ut pote contrariam libertati creatæ, & sanctitati Dei, nolentesque admittere determinationem creaturæ priori ad determinationem Dei in actibus liberis, docent: quod Deus eos prædefinit per decretum concomitans determinationem creaturæ; censentque, quod ea ratione, qua decretum non est prius determinatione creaturæ, relinquit illam illius libertatem; & ea parte, qua concomitans est, non est posterius determinatione creaturæ: proindeque docent, quod pro eodem indivisibili signo simul & semel voluntas creata se determinat ad A, & Deus suo decreto determinat existentiam ipsius A: qua ratione dicitur *concomitans* ab eis.

60. *Si autem ab eis queratur*: qua de causa duæ voluntates diversæ, quales sunt voluntas Divina, & creata, necessario & semper coincidunt in eodem volito, & eadem actione: *Respondent*, quod voluntas Dei est infinita, & eminenter continet voluntatem creatam secundum omnem ejus inclinationem: unde optime potest ex vi talis eminentiæ se conformare cum voluntate creata, ac si eam spectasset, & formare decretum, ac si ejus inclinationem cognovisset. Nam sicut Deus ex eo, quod est primum intelligens, continet eminenter omnia intelligibilia, & se & omnia intelligibilia per se cognoscit: ita quia est primam liberam, continet in se eminenter omnia agentia libera secundum omnem modum agendi ipsis possibilem: proindeque ob infinitam perfectionem voluntas Divina potest idem volitum intendere per suum decretum, ac voluntas creata per suam propriam determinationem.

61. Fusius præter modum, & morem protendimus explanationem hujus sententiæ; quia pauci memoriam illius egere, estque nostro judicio à veritate aliena. *I. Quia* duæ voluntates liberæ pro eodem signo non possunt conspirare in idem volitum, nisi consilio aut à casu, ut constat ex terminis in agentibus intellectualibus: ergo si Deus per decretum concomitans pro eodem signo vult id ipsum, quod vult creatura; vult ipsum à consilio, aut à casu. *Tunc sic*: sed Deus decreto comitanti non vult, quod vult creatura à consilio, cum horum auctorum sententia illud velit ante prævisionem voluntatis creatæ: ergo decreto comitanti vult à casu idem, quod vult voluntas creata: dicere autem, quod Deus vult à casu actus voluntatis creatæ, est injuriosum Deo, ut docent omnes Theologi: ergo Deus per decretum concomitans modo explicato non determinat actus voluntatis creatæ.

62. *II. Quia* Deus vi præcontinentiæ eminentialis voluntatis creatæ decernit ipsummet actum, ad quem ipsa voluntas creata se determinat necessario, vel liberè: si necessario, quia illa eminentialis præcontinentia voluntatis creatæ est necessaria Deo: ergo Deus non liberè decernit illo decreto actus voluntatis creatæ, quod est absurdissimum; cum Deus nihil extra se possit velle necessario. Si autem liberè decernit

ipsum actum liberum voluntatis creatæ pro eodem signo determinationis illius : pro ipsomet signo poterit non decernere actum illius , cum hoc pertineat ad conceptum essentialem actus liberi : ergo Deus nullo modo potest esse determinatus ad decernendum decreto comitante actum ipsum , ad quem se determinat creatura pro statu conditionato. *III. Quia* illo decreto determinaret Deus actum peccati , prout creatura determinatur ad illum ; sed creatura ex se determinatur ad actum peccati , prout formaliter malum : ergo Deus illo decreto determinaret , velletque actum malum formaliter , quæ talem , quod est alienissimum à sanctitate Dei. Alia suppetunt argumenta contra hanc sententiam , quæ mittimus , quia facta sufficiunt.

ART. VI. An Deus possit prædefinire infallibiliter aliquid connexum præsuppositivè cum peccato ante peccati prævisionem?

63 **Q**uestio hæc est quasi clavis ad alias Theologiæ quæstiones : ut an Christus potuerit prædefiniri Redemptor ante prævisionem peccati : prædefiniri que possit poenitentia ante prævisionem culpæ , & alia hujusmodi , quæ ad sui existentiam præsupponunt essentialiter peccatum. Quæ quæstio fuscè ab aliquibus tractatur : Nos brevius pro more. *Supponendumque est* , quod sub conditione peccati , seu conditionatè potest Deus prædefinire aliquid supponeas peccatum , sicuti prædefinivit æternas poenas hominibus , si ex hac vita discedant in peccato mortali : & prædefinivit remedium poenitentia his qui lapsi sunt in culpam : quia sapientis providentiæ est remedia prevenire malis , quæ evenire possunt : unde potest Deus prædefinire aliquid connexum cum peccato purè conditionatè , seu ex suppositione peccati. Quapropter difficultas devolvitur ad absolutam & efficacem prædefinitionem connexi præsuppositivè & essentiali-

liter cum peccato formaliter tali : ut libertas à peccato, & poenitentia peccati.

64. *Discendum* cum communi Nostrorum Sententia, quod Deus nullatenus potest absolute & efficaciter prædefinire aliquid essentialiter & præsuppositivè connexum cum peccato ante prævisionem illius. *Prob. nostra Sent.* unica sed efficaci ratione : quia nullus potest intendere efficaciter finem, nisi possit ponere medium simpliciter necessarium ad existentiam finis, cum existentia finis dependeat à mediis; sed Deus non potest ponere medium simpliciter necessarium ad id, quod est connexum essentialiter cum peccato : ergo non potest intendere efficaciter id, quod est essentialiter connexum cum peccato. *Maj. est certa Theologis & Philosophis. Min. autem probatum :* Quia medium simpliciter necessarium ad id, quod est essentialiter cum peccato connexum, est ipsum peccatum : sed Deus non potest exequi peccatum : ergo non potest ponere medium simpliciter necessarium ad id, quod est connexum essentialiter cum peccato. *Maj. est per se notæ. Consequentia tenet :* & *Min. est Theologis certa.* Quia Deus immediate & per se non potest peccare : ergo immediate & per se non potest exequi peccatum : alias per alium non potest exequi, cum non possit movere creaturam ad peccandum nec physicè, nec moraliter : ergo Deus nullo modo potest ponere in executione peccatum, & consequenter nullo modo prædefinire id quod præsuppositivè & essentialiter est connexum cum peccato.

65. *Nec valet dicere,* posse Deum prædefinire materiale peccati sine labe suæ sanctitatis, & consequenter id quod est cum peccato connexum. Nam hæc doctrina de prædefinitione & prædeterminatione ad materiale peccati absque jactura sanctitatis Deo superius est refutata. *Nec itidem valet dicere,* quod Deus scientia simplicis intelligentiæ cognoscit necessitatem vagam ad peccandum in creatura rationali, & vi hujus cognitionis prædefinire quod est connexum cum peccato. *Non, inquam, id valet :* nam, licet Deus cognoscit talem necessitatem vagam ad peccandum in creatura rationali; cognoscit tamen talem necessitatem vagam in executione existere non posse, nisi determinato individuo talis

ne-

necessitatis vaga : sicuti determinatus ad equitandum , non potest equitationem exequi , nisi determinato equo : sed pro signo necessitatis vaga creatura rationalis ad peccandum , nulla cognoscitur determinata ad peccandum , ut est certum : ergo pro illo signo sub hypothese necessitatis vaga , illa prædefinitio non est exequibilis , quousque Deus per scientiam futurorum cognoscat , in quibus individuis habeat veritatem in re talis necessitas vaga.

ART. VII. *An Deus omnia creata prædefinierit ante eorum existentiam?*

66 CUM Deus necessariò cognoscat omnia possibilia & omnia futura conditionata sub omnibus possibilibus combinationibus : certum est etiam omnibus Theologis , quod nihil creatum existere potest , nisi Deo volente , aut permittente , uti Augustinus docuit in Enchiridio cap. 95. & superius ostendimus.

67 Deinde Notandum , quod res creatæ aliæ sunt , quæ pendent immediatè à Deo in fieri & conservari , uti Angeli , anima rationalis , cæli & elementa , quæ machinam hujus universi constituunt : & aliæ existunt per causas naturales necessarias , quas in prima rerum creatione Deus produxit , cum vi & virtutè producendi sibi similes continua temporum successione , uti fruges , herbæ , arbores & alia ejusmodi : & aliæ sunt , quæ existunt per causas liberas , ad quæ reducuntur opera artis : quippe artifex semper operatur libero arbitrio.

68 Notandum ulterius , quod Divina prædefinitio nihil aliud est , quàm actus Divinæ voluntatis , quo absolutè vult rem existere per suas causas necessarias , aut liberas : Nam Deus sic determinavit & prædeterminavit ut res fierent , quod docuit Angelicus Doctor in 1. ad Anibaldum dist. 47. q. unica art. 4. his verbis : *Voluntate Dei non solum res in esse producantur ; sed etiam rebus producentis modum quo producantur , prædeterminavit.* Idemque docuit Opusc. 2. cap. 140. & 1. p. q. 19. art. 8. Unde nulli Theologorum dubium esse potest,

test, quod omnia, quæ existunt immediatè à Deo, & ab eo unicè dependent in conservari, ante eorum existentiam fuisse ab eo prædefinita & determinata: quia cum unicè dependent ab ejus voluntate, necesse est quod ab æterno determinarit ea esse, & consequenter ea prædefinierit. Nam, uti diximus, nihil aliud est Divina prædefinitio, quam determinatio Divinæ voluntatis, ut existat aliqua res. Similiter dicendum de omnibus rebus quæ existunt per causas naturales: quia ab æterno determinavit producere suos effectus, & in individuo eos determinavit, uti diximus: unde tota in hac re difficultas est de actibus liberis creaturarum prævisis per scientiam mediam conditionatè futuris. Nam, uti diximus, prædefinitio efficax, & antecedens non est componibilis cum eorum libertate.

69 *Dicendum cum communi sententia, Deum prædissinifse omnes actus liberos creaturæ ante eorum, existentiam. Prob. I. ex Sacra Scriptura, ex qua loca plura adduci possent; sed unicum sufficit ex Luca cap. 22. illis verbis Filius hominis, sicut definitum est, vadit: ubi Christus loquitur de suo voluntario progressu ad passionem & mortem, qui dicitur definitus & determinatus à Deo: ergo illa actio libera, & voluntaria Christi fuit à Deo prædefinita & determinata.*

70 *II. Ex SS. PP. qui plurimi sunt, & obvii apud Auctores, sed clarissime Gregorius Magnus lib. 12. Moralium cap. 1. his verbis: Cuncta Deus secutura præsciens, ante sæcula decrevit, qualiter per sæcula disponantur: ergo Deus præsciens actus liberos creaturæ, decrevit qualiter ponendi in executione.*

71 *III. Quia Deum prædefinire actus liberos creaturæ nihil aliud est, quam velle determinatè & in individuo eos existere absolutè; sed Deus vult eos determinatè, & in individuo absolutè existere: ergo eos prædefiniit. Maj. est certa & Min. prob. Quia actus liberi creaturæ existere non possunt, nisi Deo volente eos existere determinatè & in individuo: cum nihil creatum existere possit Deo nolente, uti jam supra diximus: ergo omnis actus creaturæ liber, qui de facto existit, existit pro priori Deo volente determinatè & in individuo ejus existentiam: quod est eam prædefinire.*

72 *Notandum autem est*, quod hæc Dei prædefinitio actuum liberorum creaturæ non est simpliciter antecedens eorum futuritionem, sed consequens ad illam prævisam præstatu conditionato; & ideo libertatem illorum non lædit. Nam Deus non vult existentiam actus liberi, nisi immediate per causam liberam omnino expertem omnis obstaculi libertatis: unde per illum actum non potest destruere libertatem ejus objecti, qui est actus liber ut talis: quia ex vi talis nihil ponit in voluntate creata contrarium libertati; sed solum est quid extrinsecum voluntati creata omnino necessarium ad absolutam existentiam actus conformiter ad propriam determinationem.

73 *Sed dices*: stante prædefinitione Dei de existentia actus liberi, non potest non esse actus liber; sed hoc ipso, quod non possit non esse, tollitur ejus libertas: ergo quomodocunque prædefiniatur à Deo, tollitur libertas ab actu libero. *Resp.* quod stante Dei prædefinitione de actu libero non potest non esse actus liber necessitate consequenti ad ipsam futuritionem actus liberi; quippe rem, dum est, necesse est esse: quia duo contradictoria simul conjungi non possunt; attamen sub prædefinitione potest actus liber non esse potentia antecedenti, quæ solum est prærequisita ad libertatem: admodum quo scientia Dei, quia non connectitur cum futuro libero à priori, hoc est, quasi à causa futuri, sed solum à posteriori. Nam futura non ideo sunt futura, quia Deus scit; sed quia ipsa sunt futura, scit Deus esse futura; ideo non tollit libertatem futurorum: ita cum prædefinitio non connectatur à priori cum futuro libero, quia non est causa futuritionis illius, sed solum sit conditio ad ejus existentiam; quin immutet modum causæ, per quem existit in statu absoluto. Inde est, quod non lædit, nec lædere potest libertatem actus in prædicto statu absoluto; quia ejus connexio non est à priori, & antecedenter; sed solum à posteriori, & consequenter.

74 Quod dictum est de prædefinitione Dei in ordine ad actus bonos, dicendum pariter in ordine ad permissionem peccati. Quia sicut actus bonus fieri non potest à creatura, nisi Deo volente: ita actus malus non potest ab illa fieri, nisi

ipso permittente; & ideo Ecclesia Catholica, ejusque fidei Deum enixe rogamus, ut non permittat labi in peccatum.

ART. VIII. *An Deus omnium habeat providentiam?*

75 *Providentia*, spectata ejus etymologia, nihil est aliud, quam *procul-videntia*, seu quæ longe sunt prospicere; & quanquam Deus omnia prospiciat, sintque illi præsentia; hic non agimus de providentia in hac acceptione. Est enim in rebus naturalibus providentia politica, & providentia œconomica: politica nihil aliud est, quam cura de omnibus, quæ sunt necessaria ad conservationem Reipublicæ; œconomica curat de omnibus, quæ sunt necessaria ad conservationem familiæ. Unde providentia Dei nihil aliud est, quam suprema ratio, quæ ordinat, & subministrat omnia necessaria ad conservationem universi, & omnium ejus partium in particulari, nempe tam creatura rationalis, quam aliarum. Atheistæ negantes Deum esse, consequenter negarunt providentiam; alii autem Philosophi Deum agnoscentes, negarunt Deum sublunaria curare, eorumque administrationem Angelis demandasse; alii verò confessi sunt Deum hominum curam, & providentiam habere, ceteras autem res casui, & fortunæ commisisse.

76 *Dicendum*, tenendumque fide Catholica, Deum hujus universi, & singularum ejus partium curam, & providentiam habere. *Prob. I.* ex Ecclesiaste cap. 5. v. 3. *Ne dicas coram Angelo non est providentia.* Et Sapientie cap. 14. *Tua autem, Pater, providentia gubernat.* Et cap. 6. v. 8. *Pusillum, & magnum ipse fecit, & aequaliter est ipsi cura de omnibus.* In novo Testamento Luca cap. 12. *Nonne quinque passeret veneunt dipondio, & unus ex illis non est in oblivione coram Deo?* Ex quo elicitur rerum minimarum, qualis est passerulus, Deum curam habere. De providentia speciali Dei erga homines plenissime loquitur Scriptura, plenissimeque SS. PP.

77 *II. Prob. ratione.* Nam Deus, qui hunc universum

condidit, & cujus voluntate omnis creatura existit, summa sapientia producit; sed hoc non potest stare, nisi omnium rerum habeat providentiam: ergo illam rerum omnium habet. *Maj.* est lumine naturali nota. *Min. prob.* Sapientia in operando stare non potest, nisi opus ordinetur in aliquem finem; sed omnia opera Dei sunt opera summae sapientiae: ergo sunt ordinata in aliquem finem. At hoc est subjacere Divinae providentiae: ergo omnia creata subjacent illi, & Deus omnium habet providentiam. Agens enim intellectuale, & perfectissimum, qualis est Deus, non potest non operari propter finem, ac proinde cum providentia.

78. *Tandem* clarissima demonstratio Divinae providentiae est hujus universi machina, attenta ejus pulchritudine, ordine, & dispositione, quae sicut demonstrant facta summa sapientia; ita devincunt suprema providentia consistere, & gubernari: nec potest considerari, quod haec gubernatio molestiam ingerat Deo, nec quod Deus opera sua despiciat, ut ait Ambrosius lib. 1. de Officiis cap. 13.

79. *Nec obstat* illud Apostoli 1. ad Corinth. cap. 9. *Nunquid de Bobus cura est Deo*: ubi videtur Apostolum negasse Deo de Bobus providentiam; nam Apostolus non negat absolute & simpliciter; sed solum illam peculiarissimam, quam Deus habuit de suis Apostolis. *Nec itidem valet* vetus quærela de prosperitate impiorum in hac vita, apud Job cap. 21. & apud Jeremiam cap. 12. Nam Deus sapientissime & justissime permittit mala, ut inde eliciat bona; nam de tenebris facit splendescere lumen, & ut intemerata linquat jura liberi arbitrii, ac suppositis peccatis in bonitate ostendat misericordiam, vel justissimo judicio debitas peccatis poenas inferat, & persæpe ad aliorum correctionem; unde permittit impios prosperari, ut intelligant mortales vanam mundi prosperitatem non esse præmium virtutis; sed hoc animæ immortalitati reservatum.

80. *Ex dictis* elicitur respectu Dei nihil fieri casu, fato, aut fortuna, quia nihil potest fieri, nisi ipso sciente, & volente: quæ autem scientia, & voluntate fiunt, non possunt esse casu, & fortuito respectu facientis.

81. *Queritur tandem*: an providentia sit actus Divini intellect-

tellectus, vel voluntatis; sive in actibus utriusque potentiae? *Thomista tenent* stare in actu intellectus, quia providentia est ordo rerum in finem, & ordinare pertinet ad intellectum. *Scotista tenent* stare in actu voluntatis, quia media, quae sunt ordinata ad consecutionem finis, non possunt finis consecutionem obtinere, nisi mediante applicatione, quae fit per voluntatem. Alii autem sustinent ad providentiam utrumque actum intellectus, & voluntatis requiri, & in utroque formaliter stare.

82. *Censemus* hac in quaestione dissidium potius esse de vocibus, quam de re. Nam omnes fateri tenemur ad providentiam requiri cognitionem mediorum ad intentionem finis, & ad finis affecutionem applicari media, quod fit per voluntatem: ad modum quo medicus ad restituendam salutem est necessarium, quod per intellectum cognoscatur medicamenta apta ad illius restitutionem, & quod illa applicet, quod fit per voluntatem. Nam scientia medicamentorum sine applicatione non est sufficiens ad restituendam sanitatem: unde videtur, quod Divina providentia completè, & adequatè stat in actu Divini intellectus, ut dirigentis, & in actu Divinae voluntatis, ut media executione mandantis. Post quod agendum de Praedestinatione Justorum, quae est pars providentiae.

DISPUTATIO III.

DE PRÆDESTINATIONE

Iustorum.

PROLOGUS.

DE Praedestinatione Sanctorum ad aeternam beatitudinem, quā potuero brevitate, deterritis profunditate mysterii, peragam, relictis inutilibus quasiunculis, quae ad rem parum prosunt. Est ergo *Praedestinatio* efficax destinatio, seu determinatio, & electio Dei ad aeternam

glo-

gloriam : unde cum sit decretum efficax Dei de gloria, seu aeterna beatitudine conferenda, non est necesse querere, an sit actus voluntatis, vel intellectus; quippe decernere non est proprium intellectus, sed peculiare voluntatis, & liberi arbitrii, pro quo debemus Deo referre gratias.

2. Oportet autem varios hujus materiae errores primum eliminare. Ac primus fuit error Origenis lib. 1. Periarchon cap. 8. qui tenuit, hominum animas à principio creatas ad gloriam prædestinatas ob opera, quæ peregerunt, antequam in corpus infunderentur. Et attamen hoc asserere est manifeste errare, cum definitum sit Concilio Lateranensi sub Innocentio III. animas non fuisse creatas ante infusionem in corpus, sed in ipsa corporis infusione, ac ex tunc incipere existere.

3. Secundus fuit Pelagii Monachi Britannii, qui ex Anglia Romam contendit (de quo plura dicemus Tract. de Gratia) qui docebat: hominem ex solis viribus naturæ, sine vera gratia interna, & supernaturali posse omnia præcepta legis servare, ex hocque Deum homines prædestinare, quos ex solis naturæ viribus prævidit, & cognovit manuros in legis observantia, sicque decessuros, ceterosque à gloria exclusisse, & reprobasse. Licet aliqui censuerint dictum errorem retractasse, aliquamque gratiam admisisse, quam appellabant *illuminationem* cordis, seu gratiæ cœlestis, & suscitationem nostræ voluntatis; verius tamen est ex Augustino lib. de Gratia Christi cap. 3. & sequentibus, illis locutionibus solum voluisse significare legem Dei æternam naturaliter insitam mentibus nostris, quatenus hæc docet, quæ agenda sunt, & quæ sunt vitanda, in quantum objective excitat voluntatem proponendo præmium, & comminando pœnas: qui error pluribus Conciliis damnatus est.

4. Emergere postea in Gallia Semi-Pelagiani hæretici, incertis Auctoribus, qui fatebantur nos sine Christi gratia non posse gloriam consequi; existimabant tamen Deum hanc gratiam nobis conferre ab æternò decrevisse intuitu & occasione alienius boni operis, vel saltem boni desiderii nostræ voluntatis per vires naturales elicitæ: sicque docebant nos posse naturalibus viribus bene incipere; sed non posse perficere salutis æternæ negotium: deinde per illum naturalem

motum posse mereri adiutorium gratiæ, Deumque homines prædestinare propter illam motionem à nobis ex viribus naturæ exhibitam.

5 Ultimus error fuit Joannis Uvicleffi, Joannis Hus, Lutheri, & Calvini, & sequacium asserentium, totam rationem prædestinationis sitam esse in voluntate Dei; ita ut pro ejus voluntate, nutu, & arbitrio electi prædestinentur ad gloriam; reprobi destinentur ad pœnam, taliter quod bona opera reprobis prædesse non possint; nec mala proficere electis; quia utrisque intulit Deus fatalem necessitatem, electis ad bona opera, reprobis autem ad mala.

6 Omnes hi errores proscripti sunt ab Ecclesia; quia ut dicit Apostolus 2. ad Corinth. cap. 15. *Referet unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*: ubi excludit ea, quæ gesturi erant mortales, si diutius viverent, ea non computans ad prædestinationem. De conatu, & merito operum naturalium in ordine ad gratiam, condemnavit Apostolus 1. ad Corinth. cap. 4. his verbis: *Quis te discernit? quid autem habes, quod non accepisti?* Et 2. ad Corinth. cap. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra de Deo est.* Et 2. ad Timoth. cap. 1. *Vocavit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum.* Quibus verbis clarissime docet primam vocationem, & gratiam non esse ex conatu, & progressu naturæ, sed ex Deo. Idemque damnaverunt Concilium Arausicanum II. ac tandem Tridentinum sess. 6. can. 3. juxta doctrinam Augustini lib. de Gratia Christi, & lib. de Prædestinatione Sanctorum, plurimisque aliis locis, ejusque fidei discipulorum Prosperi, & Fulgentii.

7 Contra errorem Uvicleffi, Lutheri, & Calvini stat libertas liberi arbitrii, sive ad bona opera sub auxilio gratiæ, sive ad mala opera ex propria electione; quippe reliquit Deus hominem in manu consilii sui. Deinde quia hæc assertio constituit Deum, qui summa bonitas est, impium, crudelem, tyrannum, qui bonos, ac malos non discernit; imò neminem damnat ad pœnam, nisi culpa prævisa: nam sicut est summe bonus, ita est summe justus; quas blasphemias hic rejicere non licet.

ART. I. *An Deus habeat voluntatem absolutam, veram, antecedentem*

salvandi omnes homines?

8 **T**heologi distinguunt in Deo duas voluntatis actus: unum efficacem, qui à nemine impediri potest; sed semper sortitur effectum, quo omnia creavit & produxit, quotidieque creat, & producit, uti Angelos, cœlos, elementa, & homines; alium, quo vere fertur ad rem, quantum est ex se præcisive à circumstantiis, quia pendent à voluntate creata; voluit enim Deus creaturæ intellectuali donare liberum arbitrium, ut eo uteretur: hancque voluntatem vocant *antecedentem*, qua Deus, quantum est ex se, fertur ad objectum: & *querimus*: an Deus eam habeat salvandi omnes homines, ac præcipue de adultis, postea suo loco locuturi de infidelibus & parvulis.

9 Refectis variis opinionibus, & modis dicendi Auctorum, *dicendum nobis est*, Deum vera & sincera voluntate antecedenti velle omnes homines salvos fieri, omnesque adipisci æternam salutem, si per ipsos non steterit. *Prob. I.* ex Apostolo 1. ad Timoth. cap. 2. ubi sic ait: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes pro omnibus, ut in omni pietate & honestate vitam geramus; hoc enim bonum & acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire; unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum Christus Jesus, dans semetipsum redemptionem pro omnibus: ergo ex Apostolo Paulo Deus vere vult voluntate antecedenti, vera, & sincera, omnes homines consequi æternam salutem.*

10. *Prob. II.* Quia Deus verè & sincerè vult eos homines salutem consequi, qui redempti sunt à Christo; at omnes homines nullo excepto redempti sunt à Christo: ergo omnes homines vult Deus salvari. *Maj. est certa ex Symbolo, ubi dicitur: qui propter nos homines, & propter nostram salutem des-*

cendit de calis ; & incarnatus est. Min. autem constat ex pluribus Scripturæ locis , sed præcipue ex Paulo 1. ad Timoth. cap. his verbis : *Dans semetipsum pro omnibus* : ubi nullum excludit , quippe sicut in Adam omnes mortui sunt : ita per Christum vita est restaurata : ergo absolute Christus pro omnibus hominibus mortuus est , ut mortui salutem consequerentur.

11 *Prob. III.* Quia Deus summè bonus , beneficus , pius , & misericors nullum hominem creavit , nisi propter æternam felicitatem ; non enim creavit hominem , ut eum æterno supplicio adjiceret : ergo quantum est ex se , voluit omnes homines consequi æternam salutem , omnesque salvos fieri , quod notum est pueris , qui christiana catechesi imbuuntur. Ad quod accedit , quod omnis homo potest sperare à Deo salutem : quapropter 2. Petri cap. 3. dicitur : *Deus patienter agit propter vos , nolens aliquos perire , sed omnes ad poenitentiam reverti.* Cui consonant Augustinus lib. 83. qq. 68. Leo Papa ferm. 11. de Passione , allique PP.

12 Scimus locum Apostoli , quo expressit , Deum velle omnes homines salvos fieri , aliquos intendisse intelligendum de omnibus hominibus in genere hominum , hoc est , ex omnium hominum genere aliquos salvare ; non pro singulis generum , hoc est , pro singulis individuis cujuslibet generis : adducique solet D. Augustinus , sed non rectè , quippe omnis aliorum interpretationibus , solum loquitur de voluntate consequenti ; non de voluntate antecedenti ; de qua sat aliis locis locutus fuerat , textusque ipse satis indicat ejus universalitatem , sicque receptus est à PP. & interpretibus. Nec potest dici loqui Apostolum de voluntate signi , quia hæc est metaphorica , & textus Scripturæ ad metaphoram verbi non potest , quoties verò & genuino sensu accipi potest.

13 *Sed Dices* : Deus non potest velle omnium hominum salutem , nisi mediis auxiliis connexis cum salute eorum ; sed auxilia ex se sufficientia ad eorum salutem , quæ adstruuntur à Catholicis , non sunt connexa cum eorum salute , quippe sine auxilio efficaci non potest esse consensus salutaris : ergo non potest Deus velle omnes homines salvos fieri. *Resp.* quod Deus quantum ex se , mediis auxiliis sufficientibus vult om-

nium hominum salutem, esto ex malitia creaturæ non sortiantur effectum; sicuti medicus propinat infirmo portionem ex se sufficientem ad depellendam infirmitatem; quia major est vis morbi, medicina non sortitur effectum, non ideo dicitur, medicum non voluisse salutem infirmi: sic pariter Deum auxiliis sufficientibus velle omnium hominum salutem, stareque per homines, ut non sortiantur effectum; quippe homo cum illis potest illos facere efficaces.

14 De infidelibus, pueris natis ante usum rationis, & de pueris mortuis in utero materno quomodo applicentur media sufficientia ad salutem: Abyssus multa, dicemus Tract. de Gratia.

ART. II. *An Prædestinatio Sanctorum ad gloriam sit ante, vel post prævisa merita?*

15 **P**rædestinatio late accepta, idem est, ac *destinatio alicujus rei ad aliquem finem*: unde omnia opera Dei dicuntur ab ipso prædestinata ad suos fines; verum tamen præsius accepta, & in rigore scholastico, dicitur *Ordinatio creaturæ rationalis in vitam eternam*: quanquam à Concilio Valentino & S. Fulgentio impli dicantur *prædestinati ad pœnam*. Scimus autem quosdam prædestinatos à Deo ad gloriam, cujus efficax voluntas frustrari non potest; ideoque S. Augustinus lib. de Dono perseverantiæ cap. 14. prædestinationem definit, quod est: *Præscientia & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*; quippe nemo potest gloriam consequi, nisi per meritum Christi, ejus gratiam, & opera bona; nisi sint parvuli regenerati per Baptismatis Sacramentum.

16 Potest enim Deus homines prædestinare sine respectu ad bona opera; quia Dominus gloriæ est omnino liberalis: sicut prædestinavit humanitatem Christi ad unionem hypostaticam cum Verbo Divino; scimus tamen neminem adepturum gloriam sine proprio merito, & propria cooperatione; quia

quia Apostolus edocet neminem coronandum, *nisi qui legitime certaverit*. Unde tota controversia stat: an electio & præelectio Sanctorum ad gloriam sit in Dei intentione, præcedens eorum merita, inferensque pro posteriori decretum executivum conferendi merita; vel potius præviis meritis ex parte creaturarum, eas præelegerit ad gloriam.

17 In qua difficultate duæ sunt Theologorum sententia; una *affirmativa*, quam tenet Schola Thomistarum, quidam ex Schola Scotistarum, quidam ex Schola Jesuitica cum Suarez, & ex aliis Nostrorum alii, ut Scius & Silvius: altera *negativa*, quam tenuere Theologi antiqui, Magister, Alexander Alensis, Albertus Magnus, D. Bonaventura, & alii: insuper ex Scotistis plurimi cum Fabro, ex Jesuitis plures cum Vazquez, Valentia, Lessio, Beccano & aliis. Ex Nostriis Jacobus Haker, Philippus Gamacheus, Nicolaus Isambertus Dumet, Abelli, insuper Sangallensis, Barberiis, Gaudentius de Briexia: & quod apud me magni ponderis est, S. Franciscus Sales lib. 3. de Amore Dei cap. 5. & insuper Card. Sfrondatus lib. cuius titulus: *Nodus Prædestinationis dissolutus*.

18 *Dicendum*, Deum ante prævisa merita, prædestinatos non elegisse ad gloriam; sed post prævisa eorum bona opera. Hæc sententia pluribus argumentis posset stabiliri; nos paucis utemur. *Prob. I.* ex illo Matth. cap. 25. ubi asseritur Christum electis dicturum: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum; esurivi enim, & dedistis mihi manducare*; in quibus verbis stat totum negotium prædestinationis. Nam *venite, & possidete regnum*: est decretum executivum illius; *paratum vobis regnum* est decretum intentivum illius, & promittit causalem, cum ait: *esurivi enim, & dedistis mihi manducare*: ergo causa parandi regnum fuit opus misericordiæ, quo loco sub earum nomine intelliguntur omnia bona opera necessaria ad consequendam vitam æternam: ergo vita æterna prædefinita & prædestinata est intuitu & præscientia bonorum operum.

19 *Urgetur ex antithesi contraria*; quia reprobis dicturus est Christus eodem cap. Matth. *Ite maledicti in ignem æternum... esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*: ubi

causam reprobationis inducit : sed nullus Catholicorum hucusque asseruit , reprobros damnatos ad ignem , nisi post præviam eorum culpam : ergo similiter justos electos ad gloriam , nisi post præviam eorum perseverantiam in bono ; eodem enim modo quo punit injustos , justos remunerat.

20 *Prob. II.* Nam Deus æternæ beatitudinis bona præparavit diligentibus se , ut testatur Apostolus 1. ad Corinth. cap. 2. dicens : *Quod oculus non vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis ascendit , quæ præparavit Deus iis , qui diligunt illum* : at electio ante præviam merita , non est electio diligentium Deum ; cum sit ante dilectionem , ac primum sit electio , & postea dilectio : ergo Deus præparavit bona beatitudinis , iis à quibus se diligere vidit : ergo post præviam merita.

21 *Prob. III.* ex Apostolo ad Rom. cap. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum , iis , qui secundum propositum vocati sunt sancti* : nam quos præscivit , & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui , ut sit ipse primogenitus in multis fratribus : ergo Deus quia præscivit bona opera sub merito Christi & gratia , prædestinavit homines conformes fieri filio ejus in gloria ; quod & dixit Joann. Epist. 1. cap. 3. *Similes ei erimus*. Quærimus enim , quos præscivit. Nam ante usum liberi arbitrii , neminem Deus potest ex præscientia prædestinare , sicque prædestinatos vocavit , justificavit , & glorificavit.

22 De mente PP. major est difficultas. Nam pro nobis stare Hilarius Pictaviensem in Psal. 64. Ambrosium lib. 5. de fide cap. 2. explicantem illud Matth. *Non est meum dare vobis*. Hieronymum in 1. Isaïam explicantem illud. *Si voveritis , bona terræ comedetis*. Fulgentium lib. 1. ad Monimum cap. 24. Prosperum ad objectiones Vincentianas respons. 12. pluresque alios. Quæstionis pondus devolvitur ad auctoritatem Augustini , qui aliquot locis favere videtur sententiæ asserenti prædestinationem electorum factam esse post præviam merita ; aliquot aliis locis factam ante merita præviam ; cæterum cum ipse lib. de Dono perseverantiæ cap. 19. doceat : neminem contra prædestinationem Sanctorum , quam secundum Scripturam Sanctam , quam docuerat præfato lib. de

Prædestinatione, nisi errando disputare potuisse, cum præfens disputatio à tempore Scholæ facta sit celeberrima, sciente, & tolerante Ecclesia; fit inde, quod sensus Augustini non sit apertus super hanc materiam, quidquid defudent utriusque sententiæ Auctores.

23 Pro nobis stare videtur lib. de Spiritu, & Littera, cap. 5. ubi dicit: *Eum præsciuit, ut prædestinaret*; & lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ubi ait: *Non tamen electio præcedit justificationem; nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur. Unde quod dictum est, quod elegit nos ante mundi constitutionem, non video, quomodo dictum sit, nisi præscientia.* Huic auctoritati reposuerat Card. Bellarminus, eos libros scriptos à Divo Augustino, dum junior esset, hancque sententiam retractasse seniore in lib. de Dono Perseverantiæ, & de Prædestinatione Sanctorum. At ubi retractarit, non ostendit, imò ejusdem libri meminit de Prædestinatione SS. cap. 4. & lib. 2. Retract. cap. 1. Massiliensibus, ut eum legant, inculcat: quo insinuat, nil esse in eo à veritate alienum. Item expositione quarundam proposit. Epist. ad Rom. proposit. 60. ait: *Quomodo elegit, cui donet? Si enim nullo merito non est electio; æquales enim omnes sunt ante meritum, nec potest in rebus omnino æqualibus electio nominari.* Ex quibus videtur colligi Augustinum stare pro sententia asserente prædestinationem SS. ex meritis sub gratia prævisis.

24 *Prob. ratione.* Nam stante ante prævisa merita decreto efficaci conferendi gloriam his, qui eam consequuntur; ceteri non consequentes intelliguntur exclusi; sed hoc non potest stare cum voluntate vera, & seria Dei salvandi homines: ergo de facto non datur in Deo ante prævisa merita decretum efficax conferendi hominibus gloriam. *Prob. Maj.* Nam decretum efficax conferendi aliquibus gloriam, est decretum efficax reliquis non conferendi gloriam; sed decretum efficax reliquis non conferendi gloriam est decretum efficax non volendi eorum salvationem: ergo decretum efficax conferendi gloriam ante prævisa merita est decretum efficax reliquis negandi salvationem.

25 *Urgetur.* Nam qui ante prævisa merita non eligitur ad gloriam, intelligitur exclusus ab illa, & damnatus ad poenam:

nam : in iudicio enim futuro adultus , qui ex vi electionis non stabit ad dexteram , necesse est , quod stet ad sinistram ad poenam deputatus ; sed Deus neminem ad poenam deputat , nisi post pravisum peccatum : ergo neminem ad gloriam eligit , nisi post meritum pravisum. Etenim in hoc systemate non electi sunt exclusi à gloria , & hoc non culpa sua ; quippe tunc nil boni , aut mali egerant : ergo ex tunc fuere reprobi , ac damnati : ergo alicujus voluntate , sed non propria : ergo præcisè voluntate Dei , qui est error blasphemus Calvinii.

26 Huic difficili argumento contrariorum confessione solum potest responderi , quod vel Deus non habet voluntatem veram , & seriam salvandi omnes , ex qua dispensat media sufficientia , quibus possint consequi vitam æternam (quod jam supra dissectum est) vel quod hæc voluntas est posterior voluntate efficaci eligendi ad gloriam , quod nemo dicet ; cum sit voluntas irritoria salvandi : quippe nemo possit salvari , nisi electus. Vel quod ex vi electionis ad gloriam , respectu electorum , non electi solum sint exclusi ab ea negativè ; sed non positivè destinati ad poenam , quam subibunt ex propria culpa ; ideoque non imputabitur Deo , quod ipsi pereant.

27 Hoc tamen est ludere verbis in primis ; quia ante pravisita merita , vel demerita quibusdam voluit efficaciter Deus dare gloriam , & aliis non dare : ergo his , quibus voluit non dare , non voluit salvationem eorum. Deinde quia ante pravisita merita non electi , vel sunt destinati ad poenam ; vel non sunt destinati ad illam. Si sunt destinati ad illam antè eorum pravisita demerita ; necesse est dicere , Deum velle permittere peccata , ut sic puniantur , quod pia aures exhorrent. Si non sunt destinati ad poenam ; necesse est dicere , quod omnes propria voluntate peccarunt , non ut deperderent gloriam , sed ut poenam subirent , quod de tot millibus hominum vix potest prudenter dici ; cum Deus non delectetur in hominum ruina. Vix enim potest concipi , quod aliquis ante pravisita demerita sit exclusus à gloria , & non sit destinatus ad poenam.

28 Plures alias rationes pro hac sententiâ refert Lessius in Opusc. de hac re ; ac licet contraria sententia suam proba-

ba-

habilitatem in scholis adsciscat; nostra tamen ultra scholæ probabilitatem, maiorem acceptationem habet apud Populum, quippe ex contraria plarumque possunt turbari simplices & rudes: siquidem audita prædestinatione ante prævisa merita, sic poterit quis discurrere: si ante prævisa merita sum prædestinatus ad gloriam; gloriam per merita adipiscar, si non sum prædestinatus, nullo adipiscar merito, quippe non possum facere quidquam, ut sim de numero prædestinatorum; si verò de eorum numero sim, tandem gloriam adipiscar: quo aperitur via licentiosis in vitia diffuendi, torpendi in salutis sollicitudine quærenda, & ea, quæ ex his sequuntur incommoda amplectendi. Unde plures experientia edocti, monent hac de re cautissimè agendum sermonem ad populum.

29. *Arguitur tamen pro contraria sententia, I. ex illo Lucæ cap. 12. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum: ubi divinæ complacentiæ tribuitur destinatio ad regnum æternum: ergo non ad præscientiam operum. Resp.* Christum non loqui de voluntate absoluta & efficaci dandi eis gloriam; siquidem in grege tali erat Judas, qui Christum prodidit, & damnatus est; sed de voluntate inefficaci & conditionata, si per ipsos non steterit; etenim in similibus assertionibus semper intellexit Christus sub tacita conditione de observantia & perseverantia in gratia; propter quod quærenti, quid ipsi faciendum ad consequendam vitam æternam, respondit Christus: *Si vis ad vitam ingredi; ser-
via mandata.*

30. *Arg. II.* Nam Matth. cap. 24. & Marci 13. innuens Christus terribilem fore Anti-Christi persecutionem, ait: *Propter electos, quos elegit, breviabuntur dies illi*, Marcusque addidit: *Quos elegit*: ergo prædestinati sunt anteceden-
ter ad eorum opera prævisa electi ad gloriam. *Resp.* ex hoc loco nihil concludi; quippe non explicat modum electionis, an fuerit ante prævisa merita, vel post illa prævisa: nam quoquo modo electis prodesse debebat breviarior per-
secutionis Anti-Christi, amotis periculis desertionis religio-
nis Christianæ.

31. *Arg. III.* ex Joanne cap. 10. *Oves meæ vocem meam*

audiant, & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea; sed hoc non potest verificari nisi ante prævisa merita sint electi ad gloriam: ergo ante merita prævisa sunt ad gloriam electi. *Resp.* potius contrarium colligi; quippe ideo sunt oves Christi, quia ejus vocem audiunt; consequenterque in sensu composito auditionis vocis Christi, non peribunt, nec rapiet eas quisquam de ejus potestate; quod omnes fateri tenemur, si de prædestinatis locus intelligatur, uti intelligitur ab Augustino & Beda; at vero Chrysostomus & Cyrillus intelligunt sub tacita conditione, nisi sponte audire vocem pastoris nolint. Per quod non valet id, quod adducitur ex Joanne cap. 15. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos, manete in dilectione mea;* quippe statim addidit: *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea;* quippe in omnibus promissionibus vitæ æternæ semper intelligitur prædicta conditio: ex quo sequitur, quod promissio vitæ æternæ semper est conditio-nata.

32. *Arg. IV.* ex illo Act. Apostolorum cap. 13. ubi repulsis Judæis Paulus & Barnabas conversi sunt ad gentes: *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam;* ergo crediderunt, quia præordinati ad vitam æternam: ergo ex præordinatione antevertente præscientiam meritum. *Resp.* in originali non esse adjectivum *præordinati*, sed *dispositi* & *apti*, ut docent Tirinus & alii. Deinde quia præordinatio ad vitam æternam alia est absoluta & efficax verificata conditione; alia autem ordinaria, quæ fit modis ordinariis, quibus Apostoli trahebant gentes ad fidem: & de hac præordinatione locutum S. Lucam: Nam quis credet in ea multitudine gentium omnes, nullo dempto, prædestinatos fuisse ad vitam æternam?

33. *Arg. V.* ex celebri loco Apostoli ad Rom. cap. 9. ubi loquens de Jacob & Esau in typo prædestinatorum & reproborum, ait: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi; Esau autem odio habui, ideoque hoc docet non esse*

esse volentis, neque currentis, sed misercordis Dei, qui quem vult, indurat, & cuius vult, misereatur, habens in sua potestate massam hominum, sicuti figulus potestatem super massam luti: ergo Deus solum pro suo nutu & electione ante prævisa merita elegit prædestinatos ad gloriam.

34 *Resp.* hoc argumento non posse nos impetere adversarios; quia Apostolus eodem modo dicit, Deum dilexisse Jacob, ac reprobasse Esau; at Jacob dilexit ante præscientiam meritorum: ergo & Esau reprobavit ante peccatorum præscientiam; at hoc non inferunt Adversarii: ergo neque inferre possunt Jacob & prædestinatos esse electos ad gloriam ante præscientiam meritorum. *Uterius.* Quia Esau, nec populus Idumæus potest dici typus reproborum: nam probabile est Esau æternam vitam consecutum, eamque obtinuisse Esau Job abnepotem in confesso est apud Catholicos; credibileque est, aliquot ex ejus contribulibus non excidisse ab æterna vita: sicuti tempore Joannis Hyrcani, quando Idumæa Judææ sociata Hebræorum religionem suscepit.

35 *Resp. ergo,* ibi non loqui Apostolum de electione ad gloriam; sed de primatu populi Judaici repræsentati in Jacob præ populo gentilico representato in Esau, in ordine ad promissionem factam de Christo, qui ex Jacob & Juda natus est, quod beneficium largitus est Deus populo Judaico non ex ullis operibus illius, sed ex mera voluntate sua: quod beneficium implevit Dominus populo suo; ita tamen ut non excluderet gentes; sed potius illas per gratiam vocaret ob duritiam cordis Judæorum, qui Christum repulere: quare non video qualiter ex prædictis verbis Apostoli possit contra nos argumentum fieri.

36 *Arg. VI.* ex illo ad Ephesios 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate:* ergo ex sola sua voluntate Deus nos elegit ad gloriam. *Resp.* Paulum non loqui de electione immediata ad gloriam; sed de electione immediata ad gratiam: nam ideò asserit: *Ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus.* Sic docet Augustinus lib. de Prædestinatione SS. cap.

19. & Hieronymus in Comment. Epist. ad Ephesios; idque docet literæ contextus. Illud quoque quod additur ex Joann. cap. 15. *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos*, non est ad rem; quia Christus solum loquitur de electione Apostolorum ad Apostolatam; quippe idè addidit: *Ut eatis & fructum afferatis*: & quia inter ipsos electus est Judas proditor, qui reprobatus est.

37 *Arg. VII.* ab auctoritate D. Augustini ex libris de Prædestinatione SS. & de Dono perseverantiæ, quos scripsit post libros retractationum, ubi refutatis erroribus Pelagianorum, qui negantes peccatum originale, docebant parvulos decedentes de hac vita damnandos, vel condemnandos, si diutius viverent. Deinde invehitur contra Semi-Pelagianos, & docet opera omnia & initium fidei esse ex proposito & prædestinatione Dei, & non secundum præscientiam nostrorum operum; quippe cum agitur de acceptione unius ad gloriam, altero derelicto, ut contigit in Latronibus, qui cum Christo crucifixi sunt, exclamat: *Judicia Dei abyssus multa*; quod non faceret, si teneret electionem ad gloriam esse post prævisa merita: ergo juxta Augustinum absoluta prædestinatio Dei est ante prævisa merita.

38 *Resp.* hæresim Semi-Pelagianorum, quam oppugnabat Augustinus, in eo sitam esse, quod dicebant omnia opera bona procedere ex gratia; cæterum gratiam procedere & subsequi ad opus bonum naturæ facultate elicitum; & hoc est, quod impugnat & detestatur Augustinus docens, vocationem ad gratiam esse ex mero proposito, beneplacito, natu, & voluntate Dei: quod jure vocat *Abyssum inscrutabilem, sed justissimam*. Est enim prima vocatio aditus primus ad vitam æternam, qua ratione dicitur gratia Dei *vita æterna*. Cæterum cum multi sint vocati, pauci vero electi; cum ad vitam æternam necessaria sit perseverantia finalis, hoc donum est ex Deo, accedente consensu nostro; idè hanc vocationem novam vocat S. Augustinus cap. ult. de Prædestinatione SS. eamque sine resolutione relinquit. Ex his poterunt Adversarii advertere, quam longè sit ab eorum mente; licet Card. Sfrondatus multus sit in adducendo Augustino pro nostra sententia, sicuti D. Thoma.

39 *Arg. VIII.* ex Concilio Valentino habito in Gallia anno Domini 855. quod cap. 3. sic ait: *Fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem; in electione tamen salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum: in damnatione autem impiorum meritum malum præcedere justum iudicium: ergo juxta prædictum Concilium prædestinatio ad gloriam est ante prævisa merita, sicuti reprobatio post prævisa demerita.*

40 *Resp.* in primis, quod Concilium concedit prædestinationem electorum ad vitam; non autem dicit, an sint electi ante prævisa merita, vel post prævisa; in electione autem salvandorum semper præcessisse misericordiam Dei meritum bonum, sicut in damnatione impiorum demeritum. Surrexerant enim eo tempore in Gallia controversiæ, & scandala erga præscientiam Dei, prædestinationem, & liberum arbitrium fortasse ex dictis à Joanne Scoto Erigena, quæ compescere volens, docuit nec præscientiam Dei neque prædestinationem libero nocere arbitrio, tenendumque in his rebus, quod semper tenuit Apostolica Sedes, Concilia, & PP. Latini; ideoque docuit, in electione salvandorum misericordiam Dei præcedere meritum; quia gratia præveniente, voluntas meritum operatur, quæ gratia præveniens ex misericordia descendit. Possemus taxare locutionem PP. in prædestinatione impiorum ad mortem; sed quia Catholici catholico sensu accipiunt, Nos itidem manus damus.

41 *Arguitur à ratione I.* quia Deus ante omnem præscientiam meritorum dat justis donum perseverantiæ: ergo ante omnem præscientiam meritorum vult dare justis gloriam. *Conseq. tenet;* quippe donum perseverantiæ est connexum cum donatione gloriæ. *Ant. prob.* Quia donum perseverantiæ vocatur à Tridentino sess. 6. can. 16. *magnum donum;* & de eo integrum librum conscripsit D. Augustinus; at donum solo nutu, & voluntate, ac liberalitate donantis confertur: ergo donum perseverantiæ solum ex nutu Dei, & liberalitate confertur: quippe experientia docemur ex duobus hominibus unum perseverare; & alium non perseverare, seu derelinqui.

42 *Resp.* quod donum perseverantiæ potest multipliciter acci-



accipi, & collectivè pro omnibus auxiliis, quibus justus observat Dei præcepta usque ad ultimum, quo finit vitam, & hoc est illud magnum perseverantiæ donum, de quo loquitur Tridentinum prædicto canone, dicens: *Si quis, magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta, & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.* Unde hac acceptione donum perseverantiæ est complexum omnium auxiliorum gratiæ à primo usque ad ultimum; ideoque à Tridentino, & PP. vocatur *magnum donum*; quia complectitur omnia dona auxiliorum gratiæ, quæ auxilia in tantum sunt efficacia in actu secundo, in quantum illis homo liberè cooperatur. Quid enim dicemus de eo, qui toto vitæ tempore Dei auxiliis resistit, & vitæ extremo vocatus à Deo, vocationi cooperatur, & statim obit? qui procul dubio salvabitur sine illo magno perseverantiæ dono, de quo loquitur Tridentinum.

43 Aliter accipitur perseverantiæ donum pro illo auxilio gratiæ, quod ultimò recipit justus, & decedit in eo. De hoc ultimo auxilio *queritur*, an habeat metaphysicam connexionem cum consensu. Si enim habet metaphysicam connexionem, quia ultimum cum consensu, auferet libertatem consensus; sicque quæstio reducetur ad communem quæstionem auxiliorum: si autem non habet ullam connexionem, nisi ad summum moralem cum consensu; solum habebit eam connexionem cum gloria, & metaphysicam ex Dei promissione, quæ non obest, ut detur gloria ex præscientia meritorum. Ex hocque provenit, quod ex duobus vocatis eadem specie vocationis, unus consentiat, & cooperetur vocationi; & alter dissentiat, & vocationi non cooperetur: quæ est ratio SS. PP. communiter adserta ab eis. Unde perseverantiæ *collectivè* accepta dicitur *magnum donum Dei*; non vero *divisivè* accepta, etsi sit donum Dei in auxilio, cui creatura cooperatur. Ex quo constat hoc argumentum magno verborum strepitu pollere, pauca tamen vi.

44 *Arg. II.* Nam ante prævisa merita datur in Deo voluntas efficax dandi merita ad consecutionem gloriæ: ergo ante prævisa merita datur in Deo voluntas efficax dandi gloriam, quibus dedit merita. *Prob. Conseq.* Nam ordinatè volens,

lens, prius vult finem, quam media; quippe media vult propter finem: ergo si Deus ante prævisa merita vult efficaciter media ad consequendam gloriam, ante prævisa merita vult efficaciter ipsam gloriam.

45 *Resp.* quod ante prævisa merita solum datur in Deo voluntas efficax affectivè quantum est ex se salvandi homines, si per ipsos non steterit, eis largiendo media, quibus eam possint consequi: ac prævisa eorum cooperatione libera, quos cognovit decessuros in gratia, eos prædestinavit efficaciter ad gloriam; ceteros à gloria exclusit; quippe vult suam promissionem explere, quæ tota pendet ex purificatione conditionis. Non datur autem alia voluntas efficax absoluta in Deo de danda gloria propter merita, quæ voluntas efficax sit voluntas efficax mediorum his præ illis; ita ut Deus eligat pro sua voluntate, libero arbitrio, nutu, & delectu aliquos ad gloriam efficaciter, ceteris à gloria exclusis; quia hæc prædestinatio non est conjungibilis cum voluntate vera, & sincere dandi gloriam omnibus hominibus.

46 Quomodo autem omnibus hominibus detur auxilium sufficiens, ut possint consequi salutem, dicemus Tract. de Gratia sufficienti respectu infidelium parvulorum, ac aliorum: quod & fatemur variis, & occultissimis mediis Divinæ providentiæ fieri.

47 Ex his injustorum reprobationem fieri à Deo prævisis eorum peccatis, & demeritis, uti omnes catholici tenent contra Calvinum, & ejus asseclas. Nam Deus neminem poenâ afficit, nisi poenam mereatur: quippe justissimus, & æquissimus rerum censor est.

48 Aliquas quæstiones, quas quidam hic agitant, de indulgentia omisi. Tum quia sat juniori Theologo, & non ultra progredi: quippe mysterium profundissimum est, profundoque respectu venerandum, firmiterque tenendum Deum velle ex se omnium hominum salutem, prædestinasse bonos in gloriam; malos autem destinasse in poenas: observantiam mandatorum rectam esse viam ad consequendam gloriam; ad mandata observanda nemini deesse Dei gratiam, totoque vitæ tempore posse peccatorem reverti ad Deum, & consequi beatitudinem non propriis viribus liberi arbitrii; sed auxiliis
gra-

gratia, quæ impetrabit quisque sedulo devotionis, & orationis conatu.

DISPUTATIO IV.

DE ANGELIS.

ART. I. *An Angelorum existentia demonstrari possit naturali lumine?*

¹ **A**ngelus nomen officii est, ait Gregorius Magnus, Græce *Nuntius*; at apud Theologos aliquantulum diversa significatio. Est enim substantia creata incorporea, intellectu, & voluntate prædicta, mobilis, & activa. De hac pauca certa ex Scriptura habemus: alia longissime distant ab hominum mente, qui vix percipiunt positivum naturæ spiritualis, solumque capiunt negativum illius. Sadducæi sub veteri, & nova lege hæretici negabant substantias spirituales, & consequenter Angelos, eidemque errori aliqui Philosophorum dederunt nomen; catholica tamen veritas est Angelos existere, ut constat ex veteri, & novo Testamento pluribus locis, ex Conciliis, & SS. PP.

² Difficultas tamen est, an Angelorum existentia demonstrari possit naturali lumine. Existentiam bonorum Angelorum lumine naturali nosci posse negant plures: quia nullus est effectus naturalis, qui habeat necessariam connectionem cum existentia bonorum Angelorum. Nam motus cælorum in opinione eorum, qui asseriebant esse animatos, ipsorum animis tribuebatur; at quia hæc opinio à Catholicorum animis respuitur, Deo potest tribui: nam sicut immediate conservat cælos; ita potest immediate movere: non enim Deus potest operatione lassari.

³ Malorum autem Angelorum existentiam plures docent experimento, & ratione comprobari. *I.* Nam energumeni alium spiritum habent distinctum ab anima rationali; loquuntur enim linguis, quas nunquam novêre; anima autem

rationalis in quantum corpus informat, hoc agere nequit; quia ejus cognitio dependet a sensibus & doctrina: nam dicere omnium rerum congenitas species habere, est delirium voluntarium: ergo in energumeno necesse est concedere aliam substantiam intelligentem, quæ hæc agat.

4 II. Quia experimento constat energumenos longe absentia tunc temporis, cum accidunt, enuntiare, veraque comprobari: hoc autem fieri nequit ab anima in corpore existenti, quæ de singularibus, quæ non cadunt sub sensu, aut aliquo principio immediato, dijudicare non potest: ergo necesse est aliam substantiam concedere, quæ hæc agat.

III. Quia energumeni viribus pollent supra naturam; nam mulieres debiles natura, & complexione à pluribus robustis hominibus vix detineri possunt, immo à se repellunt, ut constat experientia: ergo vis illa alterius est spiritus, qui in ipsis inest. IV. Quia constat Magos, & Magas brevi temporis intervallo longissimè transportari, quod iter naturaliter ab ipsis fieri non potest, etiam si haberent alas, ut testantur, qui de Strigibus verissime scripsere: ergo necessario concedendum est, esse alias substantias spirituales, à quibus hæc peragantur.

5 Nec possunt (ut aliqui autumant) hæc tribui vi humoris melancholici. Nam humor melancholicus est causa naturalis, & necessaria, quæ operatur juxta dispositionem subjecti, nec potest habere alias species, quam quæ sunt in subjecto: unde cum Energumeni loquantur ordinatè, ordinatèque respondeant ad ea, de quibus interrogantur, hoc effici non potest ab humore melancholico, ut facile consideranti constabit. Nec humor melancholicus gignere potest species adæquatas rerum, quæ longo tractu dissitæ sunt; atque adeò non possunt Energumeni vi humoris melancholici longè distantia enuntiare; nec vi illius Magos, & Magas citissime transferri in loca longè distantia, cum hic effectus acciderit nunquam in his, qui humore melancholico in summo gradu affecti sunt. Quapropter nobis Catholicis certum est ex his Dæmones esse.

6 Caterum plures Ethnicorum Philosophorum asseruere has Energumenorum operationes effectus esse animarum à corpore solutarum, quæ hac de causa gentilica phrasi *Manes* di-

dicebantur ; ac perinde non probari existentiam aliarum substantiarum adæquate spiritualium. Falsitas hujus solutionis nobis Catholicis , quibus ex Divina Scriptura , & SS. PP. nota sunt animarum receptacula post mortem facile constat ; cæterum eam evincere naturali lumine difficile judico.

7 Aliqui probant existentiam creaturæ adæquatè spiritualis , ex eo quod universum conditum sit a Deo omnino perfectum , ut constat ex Genesi cap. 1. at tale non esset , si ei deficeret creatura adæquatè Spiritualis : existit ergo in universo creatura adæquatè Spiritualis , nomine *Angelus* , vel *Dæmon*. Attamen in hoc fundamento *Maj.* non est omnino lumine naturali nota ; sed solum fide certa , & hoc solum per ordinem ad creaturas corporales. ex quibus hoc universum componitur. Nam sicut potuit Deus Angelos creare , quin crearet naturales res corporeas : ita creare potuit hoc Universum rebus corporalibus constans , quin Angelos crearet , & tunc Universum non careret debita perfectione : quapropter hæc ratio vim demonstrationis non attingit , sed solum rationis congruentis.

ART. II. *An Angeli sint omnino incorporei , seu purè Spirituales?*

8 **I**ncorporeum dicitur , quod nullo modo corpore constat ; nec tanquam parte , ut homo , nec tanquam quid sibi affixum , ut motor mobili. Antiqui Philosophi corpora distinguebant in crassa , & subtilia ; & aliqui PP. asseruere solum Deum esse incorporeum : unde plures tenuere. Angelos corpore præditos , licet subtili & aëreo. Communis tamen Theologorum Sententia post Concilium Lateranense sub Innocentio III. pluribus etiam PP. consentientibus , est quod Angelus est omnino incorporeus & Spiritualis , ut constat ex cap. *firmiter* de Summa Trinitate his verbis : *Simul ab initio Deus utramque de nihilo condidit creaturam spirituales & corporalem , Angelicam videlicet & mundanam : deinde humanam quasi communem ex corpore & spiritu constitutam.*

Ubi

Ubi creatura spiritualis contraponitur corporeæ, & spiritua-
lis dicitur Angelica : ergo hæc nullo modo de ratione corpo-
ris participat.

9 *Uterius ex Psalmi. 103. habetur de Deo : Qui facit An-
gelos suos spiritus. Et ad Hebræos Paulus loquens de Ange-
lis ait : Omnes sunt administratorii spiritus. De Dæmonibus
vero Lucæ. 10. Apostoli : Domine etiam Spiritus subiiciuntur
nobis. Et cap. 11. Cum immundus Spiritus exierit ab ho-
mine. Et ad Ephesios cap. 6. Non est nobis colluctatio adver-
sus carnem & sanguinem ; sed adversus Principes & Potes-
tates , adversus spiritualia nequitia in caelestibus : quibus lo-
cis Angeli & dæmones vocantur spiritus : ergo corporei non
sunt.*

10 *Sed dices : Angelos vocari in Sanctis Scripturis Spi-
ritus , non quod omnino corpore careant , sed quod con-
tent corpore adeo tenui & subtili , ut sensibus percipi non
possit : non enim constant corporea mole uti ceteræ univer-
si creaturæ. Sed Contra stat : nam si constarent corpore sub-
tilissimo , & ideo dicerentur Spiritus , simul juncti molem
sensibilem efficerent , & non possent esse eodem loco , ut pa-
tet in subtilissimo pulvere : pulvis enim junctus molem effi-
cit , & ejus partes non eundem occupant locum : id experien-
tia docente : atque id evenit in sententia docente conti-
nuum ex indivisibilibus componi : at plurimi Angeli simul nec
molem efficiunt , suntque eodem loco : ergo non dicuntur
Spiritus ob subtilitatem corporis , sed eo quod omnino corpo-
re careant. Min. prob. ex Marci cap. 5. ubi habetur fuisse in
corpore humano legionem unam dæmonum quæ constat ex
6666. & nec fecere corpus majoris molis , nec occuparunt
distinta spatia : experientiaque constat Exorcistas alligare
dæmonum multitudinem in minimo pedis ungue , quin un-
guis excrescat , nec in ea præsentiat dolor , qui necessario
resultaret ex penetratione tot corporum etsi subtilissimorum :
ergo plurimi Angeli nec molem efficiunt , nec diversum lo-
cum occupant , consequenterque Spiritus dicuntur per con-
trapositionem ad omnis corporis genus.*

10 *Nec obstat , quod Genesis cap. 6. juxta translationem
LXX. dicitur , quod Angeli ingressi sunt ad filias hominum ,*

& ex eis gēnere Gigantas; quod utique esse non posset, nisi corporei essent: *non utique obstat*, quia Textus Hebraicus ac Vulgata non loquitur de Angelis; sed de filiis Set, qui vero Dei cultui addicti erant, quia de causa Angeli, & Filii Dei vocantur; non vero de Angelis in propria eorum substantia.

I I *Nec obstat II.* quod corpus in spiritum agere non potest: at res corporales agunt in Dæmones, ergo saltem Dæmones non sunt omnino spirituales, sed corporei prædicti. *Prob. Ant. I.* Nam I. Reg. cap. 16. David Dæmonem qui vexabat Saul Regem, fugabat musica cytharæ. *II.* quia Tobia cap. 6. dicitur fugatos Dæmones fumo cordis piscis illius à Juniore Tobia reservati. *III.* quia Dæmones torquentur in inferno igne corporeo, ut tenet communior Theologorum sententia, ergo saltem Dæmones aliquantulum corporei sunt.

I 2 *Non, inquam, hæc obstant;* nam nec musica David Dæmonem à Saule fugabat, nec fumus cordis piscis Dæmonem exagitabat propria virtute, sed virtute Divina, quæ illis tanquam instrumentis moralibus utebatur ad Dæmonum expulsionem: sicuti ad conferendam gratiam utitur Sacramentis Ecclesiæ. Eodemque modo ignis inferni non propria virtute Dæmones torquet, sed virtute Divina, ut suo loco dicemus.

I 3 *Nec obstat III.* quod in Septima Synodo Generali, seu Nicæna 2. Sessione 5. ubi lectus est locus ex libro Joannis Thessalonicensis Episcopi, qui asserbat *Angelos esse quidem intelligibiles, sed non omnino corporis expertes, & invisibiles, verum tenui corpore præditos, & aëreo, sive igneo.* Namque ea ratione plangi, & effingi imagines Angelorum posse: nam hæc ratio PP. Concilii non placuit, sed Tarasius Constantinopolitanus Patriarcha in hæc verba prorupit: *Ostendit autem Pater, quod & Angelos pingere oporteat, quando circumferibi possunt, & ut homines apparuerunt.* Ad quæ Synodus assensum præbuit dicendo: *etiam Domine.* Unde Synodus non probavit Sententiam Joannis Thessalonicensis de corporeitate Angelorum, sed solum de retinendis Angelorum Imaginibus, & picturis.

14 Sed quæres: An Lateranense Concilium definierit omnino Angelos esse omnino incorporeos? Ita content aliqui Theologi; alii autem etsi censeant temerarium esse asserere, Angelos corpore præditos esse, licet subtilissimo; attamen id non fuisse expressè, & formaliter à Lateranensi definitum; quia intentum Concilii solum fuit definire Deum esse Auctorem omnium rerum creatarum, quas comprehendit nomine spiritualis, & corporalis creaturæ sicuti in Symbolo, quod in Ecclesia canitur dicitur. *Deus creator Cæli, & Terræ visibilium, & invisibilium omnium*: quibus verbis Angeli comprehenduntur: Unde mens Concilii non fuit hanc quæstionem determinare, sed eam eo statu quo tunc erat, relinquere; sicque D. Thom. quæst. 16. de Malo, art. 1. qui post Concilium Lateranense floruit, censuit, quod quæstio de corporeitate Angelorum non est de pertinentibus ad fidem.

ART. III. *An sit possibilis Angelus compositus ex materia Spirituali?*

15 Quæstio hæc, quæ nullius est frugis, aliquorum Recentiorum Theologorum tempus, & ingenia extorsit; nobis paucis est absolvenda. Inter Philosophos enim de materia sunt diversa sententiæ; nam plures Catholici materiam à corpore non distinguunt, nec quantum à corporeo, unde docent divisionem entis in corpus & Spiritum esse omnino adæquatam; quia ens aut est divisibile in partes, aut indivisibile: si divisibile in partes est corpus; si autem non divisibile in partes, Spiritus dicitur; & hanc esse communem hominum acceptionem, quo collimant apud Lucam cap. 24. Verba Christi post resurrectionem: *Videte manus meas, & pedes, quia ego ipse sum: palpete, & videte, quia Spiritus carnem, & ossam non habet: sicut me videtis habere.* Et verba Pauli ad Ephesios 6. *Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principes, & Potestates contra Spiritualia nequitia.* Ac Lateranense IV. cap. Firmiter: *qui* (nempe

Deus) sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spirituales, & corporeas: Unde dicens, utramque condidit creaturam spirituales, & corporeas, innuit nullam esse, quæ corporea, aut spiritualis non sit: atque adeo edocent cætera accidentia corporea, solum esse corporea subjectivè, quia in corpore subjèctantur, entitative verò corpus non esse, sed spiritum non se moventem & idem dicunt: de animabus cæterorum viventium, quæ morte pereunt, quia non sunt agentia moralia, & omnia viventia præter hominem, ut serviant hominì creata sunt: de quibus plura dicti Philosophi, in quo modo dicendi, qui probabilissimus est, non habet locum quæstio.

16 Philosophi Aristotelici in quolibet ente corporeo tria distinguunt realiter inter se diversa, nempe quantitatem, materiam primam, & formam, quæ ratione quantitatis habent inter se partes diversas & extensionem: atque adeo in hac sententia *quod queritur est*: an sit possibilis Angelus, vel ut clarius loquamur, sit possibilis creatura, quæ consisteret forma & materia spirituali, hoc est, nulla quantitate affecta, quæ horum Philosophorum sententia rationem corporis constituit? Nam si quantitas & materia sunt res realiter diversæ essentialiter, una non erit constitutivum alterius, poteruntque de potentia Dei absoluta existere separata: quia quodlibet ens potest de potentia absoluta Dei existere separatum de omni eo, quod non pertinet ad ejus essentiam: qua ratione accidentia existunt separata à subjecto in Eucharistia.

17 Communis sententia Recentiorum Thomistarum docet repugnare creaturam compositam ex materia, & forma spirituali: quia nequit dari materia Spiritualis: quod probare contendunt, ex eo quod illa materia non esset ejusdem speciei cum materia rerum hujus universi, quia esset abstracta à quantitate, nec posset esse alterius speciei; attamen hoc non probant, & cum ipsi doceant materiam corporum cælestium, & sublunarium specie differre, non apparet, cur sit repugnans tertia species materiæ, quæ non exigat quantita-

18 *Dicunt tamen* materiam exigi à forma ad exercendas ejus operationes : illa autem forma spiritualis non egeret materia Spirituali ad operationes vitæ vegetativæ , nec sensitivæ , ut patet , unde solum egeret illa ad operationes vitæ intellectualis ; at ad hoc non exigitur à forma Spirituali , ut patet in anima separata , & Angelis : ergo ad nullas operationes posset forma Spiritualis exigere materiam adhuc spiritua-lem , & consequenter videtur impossibilis creatura constans ex forma & materia Spirituali.

19 Verum tamen in his rebus de possibilitate , & potentia Dei absoluta cautissime loquendum , quia imbecillitas intellectus nostri arcana Divinæ omnipotentia humili subjectione debet venerari , & non apparet clarè repugnans compositum ex forma , & materia Spirituali cujus operationes forent diversæ speciei ab operationibus Angeli , & animæ nobis notis : Et si sententiâ Thomistarum tanta multitudo Angelorum specie differt , quin cognoscamus qualiter specie differant eorum operationes , quid mirum quod possimus concipere compositum ex materia & forma spirituali , quin possimus ejus operationes ut diversas cognoscere : in quo non amplius licet immorari.

ART. IV. Quando , & ubi sint Angeli creati?

20 **I**N hac quæstione unum supponitur , & aliud inquiritur ; supponitur Angelos esse à Deo creatos , quod est de fide , ut constat ex pluribus Scripturæ locis , quæ longum esset recensere , & definitur in cap. *Firmiter de Summa Trinitate* contra Hæreticos aliquos & facillime demonstratur. Nam quidquid non est Deus , creatura est , sed Angelus non est Deus : ergo creatura est. In quo non oportet eruditionem congerere.

21 De tempore , seu duratione , quo creati sunt Angeli , etsi Moyses in Genesi creationis eorum non meminerit expressè , & formaliter : tum quia ejus scopus solum erat texere principium hujus corporei universi : quia præcavere vo-
luisse

luit tunc eorum agere memoriam, ne populus Hebraicus in Idololatriam prolaberetur. Triplex ergo hac in re potest esse sententia *I.* asserens Angelos creatos esse ante mundum corporeum, in qua fuere aliquot PP. tam Græci, quam Latini. *II.* censet creatos in ipso instanti, seu simul cum mundo corporeo, seu cælo, & terra, & hanc tenuere plures PP. invaluitque apud Scholasticos. Tandemque *III.* tenuit creatos fuisse post mundum corporeum, quando Deus dixit: *Fiat lux, & facta est lux.* Ita Genadius Massiliensis, Hugo, Victorinus, & alii.

22 *Dicendum*, quod nulla harum sententiarum Theologica nota subiacet, uti docet D. Thom. in Opusc. quo exposuit caput *Firmiter de Summa Trinit.* ubi docet intentionem Concilii solum esse damnare veteres errores philosophorum, & hæreticorum, quem secutus est Petavius lib. 1. de Angelis cap. 15. num. 13. ac Scholastici prudentia præpollentes; nam verba Concilii Lateranensis sunt: *Qui (Deus) sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corpoream:* quibus verbis solum significatur, quod Deus utramque condidit creaturam corpoream, & spiritualem de nihilo, & utramque simul ab initio temporis, hoc est, temporis principio contra errores philosophorum, & aliquorum hæreticorum, ut docet Divus Thomas præcitato Opusc. & 1. p. q. 61. art. 1. unde *ly simul* non significat simultatem temporis, sed simultatem creationis: sicuti cum dicitur Ecclesiastici 18. quod Deus *creavit omnia simul*, id est, *pariter:* cum communius Theologorum sententia sit mundum creatum à Deo sex diebus naturalibus: unde non fuit Concilii intentum damnare opiniones Theologorum, quæ citra dispendium fidei eo versabantur tempore.

23 Nec locus ex Genesi: *In principio creavit Deus Cælum, & Terram* evincit clarè, quod Angeli non sint creati ante mundum corporeum; hoc enim est præcipuum argumentum, quia Deus in principio, seu primo creavit Cælum, & Terram, quod non posset esse verum, si Angeli fuissent ante creati; nam, ut notat D. Hieron. ep. 134. Moyses solum voluit describere ordinem creationis rerum corporaliū, in quibus Angelus non comprehenditur.

24 His non obstantibus *dicendum*, Angelos creatos esse eodem instanti, quo creatus est mundus corporeus, cum jam communi Theologorum sententia licet non sit fundamentum, ex quo id possit evidenter evinci. Nec refert, quod demon sub nomine Behemoth dicitur apud Job cap. 40. quod est *principium viarum Dei*, quia hoc ipso, quod demon sit creatus in ipso instanti, quo mundus est creatus, est principium operum Dei negativè; quia alia creatura non est ante ipsum creata, & hoc ipso, quod sit creatus in instanti, quo mundus corporeus est principium aliorum operum Dei.

25 Ubi autem creati sunt Angeli, non est omnino certum; etsi communior Scholasticorum consensus teneat creatos in Cœlo Empyræo; nam Scriptura solum docet diabolum de Cœlo cecidisse, sed non designat Cœlum, ex quo decidit, potuit enim creari in decimo Cœlo, sed cum Angelus sit supremus inter reliquas creaturas; convenientius videtur creatum fuisse in loco supremo creaturarum, quale est Cœlum Empyræum.

ART. V. *An Angelus sit natura sua incorruptibilis?*

26 **N**ULLUS Catholicorum dubitat Angelum, omnesque creaturas sicuti in essendo, ita in duratione pendere à voluntate Dei: *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses*, dicitur: atque adeò Deus Angelum, sicuti omnia creata ex se quando voluerit, & ubi voluerit, destruere potest, nisi proprio decreto impediatur: unde quod quaritur est, an Angelus per sibi intrinseca, aut per sibi extrinseca habeat aliquid, quod possit impedire ejus perpetuam durationem?

27 *Dicendum* cum communi Theologorum sententia, Angelos natura sua esse incorruptibiles, & immortales, & natura sua habere perpetuam durationem. I. Quia Angelus nec in fieri, nec in conservari dependet ab aliqua creatura, sed solum à Deo: ergo à nulla alia creatura destitui potest nisi à Deo. *Prob. Conseq.* quia antecedens est omnino certum: quia

quia nihil potest destrui, nisi ab eo, à quo pendet in fieri, aut conservari: sed Angelus non dependet à creatura aliqua in fieri, aut conservari: ergo à creatura aliqua destrui non potest.

28 II. Quia anima rationalis natura sua est incorruptibilis, & immortalis, ut definitum est in Concilio Lateranensi sub Leone X. ergo potiori jure Angelus est natura sua incorruptibilis, & immortalis: quia Angelus est perfectior anima rationali: ergo si hæc est natura sua est immortalis, & incorruptibilis; potiori ratione talis erit Angelus.

29 III. Quia Angelus corrumpi non potest more sublunarium. Nam hæc corrumpuntur una parte destructa, & alia permanente, ut destructa forma, & permanente materia; sed hoc modo Angelus corrumpi nequit: quia est omnino simplex, & non constat ex partibus: unde si posset desinere esse, per totum sui esse necessario desineret: ergo Angelus more sublunarium non est corruptibilis. *Aliunde* cum in omni rerum universitate non sit aliquid, quod habeat exigentiam ad ejus destructionem, cum omnes res sint corporeæ independentes in esse ab existentia Angelorum, nulla potest habere exigentiam destructionis illorum. Unde natura sua semel à Deo creati, sunt incorruptibiles, & indestructibiles ab agente creato, & natura sua perpetuò durabiles, & ex se habent exigentiam, ut à Deo perpetuò conserventur hoc ipso, quod semel ab ipso producantur. Quapropter quando aliqui PP. asserunt Angelos conservari Dei gratia; non sunt intelligendi de gratia speciali distincta ab eorum creatione; sed de gratia consequente naturaliter ad eam, seu de gratia & beneficio generali, qua conservat cælum, & terram, aliaque elementa, quæ incorruptibilia dicuntur à Philosophis, uti materia prima: quia omnia dependent in esse,

& conservari à Deo.

ART.

ART. VI. *An Angeli possint numero multiplicari intra eandem speciem?*

30 **C**Um omnes res creatæ in ratione entis conveniant, videamusque plures convenire in genere, & differre prædicatis, quæ solis ipsis conveniunt; hinc oritur differentia specifica rerum, quæ in rebus sensibilibus, & corporeis facile percipi possunt; at in rebus abstractis à sensu quanto majorem abstractionem habent, tanto difficilius pro hoc statu, ut sunt in se, cognosci possunt. Angelos autem posse specie differre, seu posse esse plures species Angelorum sub eodem genere, non est ex Theologis, qui dubitet, quia nulla in hoc apparet repugnantia; quanquam videatur, quod substantiæ simplices, immateriales, intellectivæ, & voluntate prædictæ non possunt differre specie; quia cum modus operandi indicet modum essendi; cum actiones intellectuales Angelorum sint penes magis, & minus, quod non variat speciem, ut patet in stellis; inde videtur non posse esse differentias específicas Angelorum. Verum cum modus operandi in Angelis sit nobis prorsus ignotus; non possumus negare possibilitatem diversitatis in specie in genere Angelico, etsi nobis notæ non sint eorum differentia.

31 Major autem difficultas stat in pluralitate Angelorum sub eadem specie, *id est*, an in eadem specie possint esse plures Angeli numero solo diversi? Thomistarum Schola negat; quia tenet materiam, qua Angeli carent, esse principium individuationis; verum aliorum communis sententia oppositum tenet.

32 *Dicendum*, quod in eadem specie Angeli possent esse plures solo numero distincti. I. Quia nulla apparet repugnantia in multiplicitate numerica Angelorum, ut infra constabit: ergo asseri debet possibilis. II. Quia Angelus in sua specie non est quid infinitum positivè: ergo potest multiplicari. *Ant. est certum, Conseq. prob.* Quia Deus, qui est simpliciter infinitus, multiplicari non potest: eo quod implicet esse duo infinita in eodem genere: ergo si Angelus non est

positivè infinitus, in sua specie multiplicari potest.

33 Duobus modis satisfacere intendunt Thomistæ huic argumento. *Primo* dicendo, quod Deus non solum, quia est simpliciter infinitus, non potest multiplicari; sed etiam quia est immaterialis, cum ex hoc principio probaverit Aristoteles unitatem Dei: unde cum Angeli sint essentialiter immateriales, sunt essentialiter immultiplicabiles. *Secundo*, quod quilibet Angelus in sua specie est quodam modo infinitus, quia continet quidquid est perfectionis in sua specie; & ideo multiplicari non potest. *Sed primus modus* (quidquid sit de Aristotele) falso nititur principio, universaliter loquendo, ut infra constabit. *Secundus autem modus* difficultatem non evincit. Nam licet Angelus contineat quidquid est perfectionis in sua specie; tamen quidquid est perfectionis in illa, est quid finitum, & limitatum, atque hac ratione cum quodlibet individuum cujusvis speciei participet totam perfectionem specificam illius; quodlibet foret suo modo infinitum, & multiplicabile, quod est falsum: ergo Angelus, qui finitus est in sua specie, est multiplicabilis in infinitum syncategorematicè, sicut cetera creatura.

34 *III. Prob.* evertendo contrarium fundamentum. Quia anima rationalis, etsi immaterialis, & incorporea entitativèque spiritalis; multiplicatur numero intra eandem speciem, ut est omnibus certum: ergo Angelus, etsi sit incorporeus, & immaterialis; potest in eadem specie multiplicari. *Respondent Adversarii*, quod anima rationalis dicit ex conceptu specifico ordinem ad materiam, & quantitatem, & per hunc ordinem multiplicatur anima rationalis; cumque Angelus nullum dicat ordinem ad materiam, & quantitatem; ideo in eadem specie multiplicari non potest.

35 *Sed contra est*, quia licet anima rationalis, quia forma corporis dicat ordinem ad illud vagè sumptum; non tamen dicit ordinem ad materiam, & quantitatem determinatè sumptam; *hoc est*, ad hanc numero materiam, aut quantitatem: ergo ejus individuatio non dependet formaliter ab illis. *Ant. prob. I.* Quia animæ rationales in statu possibilitatis cognoscuntur à Deo, ut numero diversæ; sed in eo statu non dicunt ordinem ad materiam, & quantitatem deter-

minatè : ergo animæ rationales non individuantur per ordinem ad determinatam materiam , & quantitatem. *II.* quia eadem numero anima A. potest uniri diversis corporibus, *Ex. Gr.* corpori B. C. aut D. ut videtur certum. Nam corpori ultimo disposito , & organizato potest Deus ex animabus possibilibus infundere , & creare , quam libuerit : ergo animæ rationales non individuantur per ordinem ad determinatum corpus. *III.* quia anima rationalis prius habet , quod sit creata , quam quod sit unita corpori ; sed pro illo priori est jam constituta in individuo , cum nihil possit existere in universali , sed debet existere in individuo : ergo anima rationalis ante unionem ad corpus determinatum existit in individuo.

36 *IV.* quia genus Angelicum , esto sit incorporeum & immateriale ; potest multiplicari per varias species : ergo species Angelica , etsi sit incorporea , & immaterialis , potest multiplicari per varia individua. *V.* quia materia per se ipsam est numero multiplicabilis : ergo substantia spiritualis per se ipsam est multiplicabilis numero. *Si dicas* materiam individuari , & multiplicari per quantitatem ; idem sit argumentum de ipsa quantitate , quæ per se ipsam formaliter multiplicatur : unde species Angelica per se ipsam potest multiplicari. Idem argumentum fieri potest de accidentibus , quæ sententia Thomistarum individuantur à subjectis , cum plura numero distincta reperiantur in eodem subjecto , ut intellectiones , & volitiones in eadem anima de eodemmet objecto pro diverso tempore elicitæ , sed hæc missa facimus.

37 Horum autem omnium ratio est , quia omne ens creatum , hoc ipso quod sit finitum , & limitatum , est multiplicabile in infinitum syncategorematicè in sua specie , cum nunquam repugnet unum simile alteri ; unde quælibet species creata contrahi & participari potest à pluribus individuis.

38 *Sed Arg. I.* Materia est principium individuationis juxta Aristotelem ; sed in Angelis non potest esse materia : ergo in eis non potest esse principium individuationis. *Vel aliter :* quod est immateriale , est immultiplicabile numero ; sed Angelus est essentialiter immaterialis : ergo est immultiplicabilis numero.

39 *Resp.* quod materia est principium individuationis inadæquate in rebus corporeis, quæ constant materia, & forma; quia sicut compositum nihil aliud est, quam ejus partes simul sumptæ, & unitæ: ita individuum nihil aliud est, quam ejus partes individua, scilicet hæc numero materia, & hæc numero forma; unde individuatō illarum est individuatō compositi. Verum in rebus spiritualibus, ratio individuationis nullatenus est materia; sed per hoc quod A. non sit B. distinguuntur numero, & hoc habent per proprias entitates: unde ad secundam formam facile *resp. negat. Majori.*

40 *Arg. II.* Quia ea quæ differunt forma & non materia, necessariò specie differunt, & non possunt solo numero differre; sed Angeli non possunt materia differre: ergo solum possunt forma differre, seu specificè. Nam distinctio formalis, est distinctio specifica; quia forma dat speciem, ut docent communiter Philosophi: quod argumentum variis modis inculcant adversarii.

41 *Resp.* quod Angelus (physicè loquendo) non est verè, & propriè forma, quia non dicit ordinem ad materiam; sed solum est substantia simplex, solumque potest dici forma logice, quatenus est quid compositum ex genere & differentia, & per hoc in specie constituitur sicut omnia alia entia creata, & dicitur forma logicè: differentia ergo formalis vel potest esse specifica, qualis est inter Leonem & Canem; vel potest esse numerica, qualis est inter duas animas racionales: unde negato quod omnis distinctio formalis est distinctio specifica, corrumpit argumentum.

42 *Sed Dices:* quæ conveniunt in specie, & numero differunt, differunt in aliquo positivo superaddito essentiæ, & non addente illi perfectionem diversæ speciei. Nam inter ea non est differentia essentialis; at hoc positivum non potest esse, nisi quod potentiale & materiale: ergo quæ conveniunt essentiæ & numero differunt; necesse est quod differant per aliquid potentiale & materiale.

43 *Resp.* quod ea quæ numero solo differunt, non differunt per aliquid positivum superadditum essentiæ existenti in individuo. Nam essentiæ abstracta ab individuis non existit

à parte rei ; illa autem logicè concepta contrahitur & participatur ab illis secundum esse individuale illorum : esse autem unum individualiter est inseparabilis entis proprietas , sicuti esse verum & bonum. Nam omne ens aut est unum per compositionem , aut per simplicitatem ; omne autem unum per compositionem resolvitur in unitatem partium : unde essentia alicujus rei non participatur ab individuis per aliquid positivum realiter distinctum ab ipsis , & ab essentia : atque adeò individua non differunt per aliquid positivum potentiale & materiale præcisè ; sed præcisè per suas unitates , quæ sunt intrinsecæ eorum entitatibus. Nam sicut qualibet res per se ipsam formaliter existit , per se ipsam formaliter est una , & non alia distincta formaliter & realiter. Quod autem possint esse plura individua ejusdem speciei creatæ , hoc nascitur ex intrinseca ratione creaturæ : quæ ex hoc quod creatura est , est multiplicabilis in infinitum syncategorematicè.

44 Ex quo facile est aliam Adversariorum objectionem solvere desumptam ex eo quod , quilibet Angelus in sua specie est quodam modo infinitus , quia haurit totam perfectionem suæ speciei ; & duo infinita solo numero diversa dari non possunt. Nam falsum est , quod Angelus sit in propria specie infinitus ; cum sit creatura physicè & realiter : nec id probat , quod habeat totam perfectionem speciei : nam etiam anima rationalis Adami propriæ speciei habet totam perfectionem : & idem contingit in animabus brutorum : quia nihil illis deficit de perfectione propriæ essentiæ , nec ideo infinitæ sunt in propria linea.

ART. VII. *An de facto omnes Angeli sint ejusdem speciei?*

45 **A** Liquor PP. credidere omnes esse ejusdem speciei ; sicuti sunt omnes hominum ; & distinctionem Hierarchiarum solum esse distinctionem munerum & officiorum , sicut contingit inter homines ; non vero naturæ Theologi aliqui dixere , Angelos specie differre pro diversitate

te Hierarchiæ, & Thomistæ omnes specie differre, quia repugnat esse numero distinctos intra eandem speciem; sed cum hoc principium nobis sit falsum: *dicendum nobis*, nihil certi esse in hac re; etsi possit quis conjectari saltem aliquos Angelos esse ejusdem speciei, ut possit esse inter illos societas & amicitia; sed hæc conjectura est vana, quia inter animas beatas, & Angelos est perfecta amicitia, & societas, esto non sint ejusdem speciei: immo inter Deum, & justum intercedit perfecta amicitia per charitatem, ut docent Theologi, etsi intercedat inter eos infinita differentia.

46 *Sed dices*: unitas, & diversitas constituunt pulchritudinem universi: ergo reipublicæ Angelicæ pulchritudo requirit, quod sint Angeli solo numero distincti, & Angeli specie distincti. *Resp.* quod ad pulchritudinem Reipublicæ, non requiritur diversitas specifica personarum; sed sufficit diversitas munerum, ut patet in Republica Ecclesiastica, quæ pulcherrima est: & ejus membra specie non differunt, sed solum officiis, & muneribus.

ART. VIII. *Quanta sit multitudo Angelorum?*

47 **R** *Esp.* apud Daniele cap. 7. dici quod Domino *decies millies centena millia assisiebant*. Ex quo rectè inferitur, multitudinem Angelorum esse innumerabilem; cæterum per comparisonem ad numerum aliarum rerum creaturarum variæ sunt conjecturæ Theologorum. Quidam enim censent multitudinem Angelorum longe excedere multitudinem hominum nunc existentium: quia quilibet hominum habet Angelum Custodem, & ulterius regna, & provinciæ, Pontifices: & Reges habent ratione ministerii peculiare Angelos: unde videtur, quod multitudo Angelorum excedit numerum hominum nunc existentium; verum hoc fundamentum non subsistit. Nam licet certum sit, quod quilibet hominum habeat Angelum custodem, uti etiam regna, & Reges; non est tamen certum, quod quisque hominum ita habet Angelum Custodem proprium, & peculiarem,

ut

ut alterius hominis custodiæ non deserviat : nam sicut in Parochia quilibet habet pastorem, sed non sui tantum, verum communem aliis : ita nescimus, an unus & idem Angelus gerat plurium hominum custodiam : & si gerit, calculatio deficit ; quia unus pastor pascendis pluribus ovibus sufficit. Nam hæc calculatio deficit : tot sunt oves : ergo tot sunt Pastores : similiter tot sunt homines : ergo tot sunt Angeli Custodes. *Uterius.* Quia hoc fundamento probatur, quod Angeli inferioris ordinis excedant multitudine homines, de facto existentes. Nam solum Angeli inferioris Hierarchiæ, communi sententia, sunt deputati custodiæ hominum, de quo certitudo nulla.

48 Alii censent multitudinem Angelorum excedere multitudinem hominum, qui fuerunt, qui nunc sunt, & erunt, & qui futuri sunt ; ac tandem aliqui ita suas cogitationes protulerunt, ut ausi sint dicere multitudinem Angelorum excedere multitudinem stellarum, nec non arenarum maris, ac denique omnium individuorum hujus Universi. Nos abstrahentes ab his comparationibus, quæ sine fundamento adstruuntur, contenti sumus asserere cum Daniele maximam esse multitudinem Angelorum ; sed numerum eorum Divinæ sapientiæ reservatum.

49 Tandem, ut ad alia progrediamur, supponendum, ut certum, quod Angeli hominibus naturæ perfectione præstant : Tum ex illo Psalmi 8. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis* (& loquitur de homine.) Tum quia homo est compositus, ex corpore & anima, mortalis, & mille miseriis, in hac vita subjectus ; Angelus autem est incorporeus, spiritalis, incorruptibilis, vivacissima intelligentia præditus, agilitate præstans, & robore pollens, pluribusque aliis modis hominem excedens, & animam separatam : de quibus in operis decursu.

ART. IX. De loco & motu Angelorum.

50 Nullus Theologorum dubitare potest, quod Deus potuit creare Angelos ante mundum corporeum, quo casu Angelus non esset positive in loco : quippe

pe tunc nullus esset locus positivus; sed purum spatium imaginarium: unde in presenti solum loquemur de Angelo, prout est pars universi, & continetur inter craturas, quæ mo-lem universi constituunt. Locus autem duplex est, alius rerum corporalium, qui dicitur *circumscriptivus*, & à Philosophis definitur: *ultima superficies corporis continentis locatum*; ita ut sibi invicem respondeant partes loci & partes locati; & hic modus existendi in loco non potest convenire Angelis, qui cum spirituales sint, materialibus & corporeis partibus carent. Alius autem modus essendi in loco est *definitivus*; quo una res est in alia, aut illi ita immediata, ut nihil reale mediet inter illas, non per correspondentiam partis ad partem, sed per coexistentiam indivisibilem locati ad locum; ea tamen conditione, ut res determinetur & definia-tur determinato loco: & hoc ipso quod sit determinata, & definita, in alio loco non sit: ad modum quo anima rationalis est in corpore, quæ indivisibiliter est in toto corpore, & non est alibi extra corpus.

51 His jactis certum est *I.* Angelos esse in loco verè & proprie. Tum ex illo Matth. cap. 18. *Angeli eorum in caelis, semper vident faciem Patris mei*: ergo Angeli sunt verè & realiter in cœlo ubi faciem Dei vident. Tum quia quod est alicubi, & non alibi, verè & propriè est in loco: at Angelus est alicubi, ita ut non sit alibi: ergo est propriè in loco. Tum quia accessus, & discessus, descensus, & ascensus non sunt nisi eorum qui sunt in loco; sed in Angelis est accessus, & discessus, ascensus, & descensus, ut postea ostendemus: ergo sunt in loco verè & propriè; unde hoc judicatur à plarisque de fide, contrariumque communiter censetur erroneum.

52 Certum est *II.* contra Durandum, ut communiter refertur, quod Angelus non est ubique, sed est in determinato loco. Tum quia Angelus, non potest esse ubique per suam naturam, nisi per suam naturam sit immensus; sed Angelus per suam naturam non est immensus, quia hoc est proprium Dei: ergo per propriam naturam non est ubique. Tum quia quod est ubique, est incapax accessus, & discessus; quia accessus est nova adquisitio loci, recessus determinati loci desertio: & idem contingit in ascensu, & descensu; sed

Angeli accedunt, & recedunt; ascendunt, & descendunt: ergo Angeli non sunt ubique. *Maj. est certa, Min. probari posset* ex pluribus locis Scripturæ Sacræ, sed pauca subiiciemus: De accessu Matthæi 4. *Ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* De discessu Lucæ 2. *Et discessit ab illa Angelus.* De ascensu, & descensu Joannis 1. *Videbitis Cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis.* Tum quia si Angelus esset ubique, Dæmones adhuc essent in Cælo, atque adeò non cecidissent de illo, nec in Tartarum detrussi essent, quod est contra Scripturam, nec possent exorcismis ejici ex corporibus obsessorum, nec ex locis, quos infestant; atque adeò vana esset potestas exorcizandi, inutilesque forent exorcismi Ecclesiæ; sed hoc à Catholicis asseri non potest: ergo Angeli non sunt ubique. Ex quo fit, quod Angelus sit in loco finito, & determinato. De majori aut minori extensione in ordine ad locum postea disquiretur.

ART. X. *Per quid sit formaliter Angelus in loco?*

53 **T**ria possunt in Angelo considerari: *primum* ipsa entitas, & natura Angeli, *secundum* ejus operatio, *tertium* aliquod ubi, seu præsentia producta ab ipso. Unde ad tres classes reduci possunt Auctorum sententiæ. I. tenet Angelum esse formaliter in loco per propriam entitatem, & substantiam. Hanc tenent communius Nostri, Scotistæ, Jesuitæ, & plerique aliorum. II. tenet Angelum esse formaliter in loco per propriam operationem, qua fit in distans à passo; quia agens, & passum habent contactum, & conjunctionem. Hanc tenent Thomistæ, quanquam sunt inter se divisi; nam quidam asserunt, quod Angelus solum est in loco per operationem virtualiter transeuntem, hoc est, producentem aliquem effectum in passo. Alii autem docent posse esse in loco per operationem purè immanentem. III. tenet, quod Angelus est formaliter in loco per ubi reale, præsentiam, aliundeve modum productum ab ipso Angelo rea-

liter distinctum ab ipso, & ejus operatione. Hanc videtur tenere Suarez, & alii ejusdem instituti.

54 *Dicendum nobis*, quod Angelus est formaliter in loco per propriam entitatem, & substantiam. *Prob.* quia per id est Angelus in loco formaliter, per quod est immediate corpori conjunctus, & illud tangit; sed Angelus per propriam entitatem & substantiam est immediate corpori conjunctus, & illud tangit: ergo per propriam entitatem, & substantiam est formaliter in loco. *Maj. est certa.* Nam ea ratione asseritur à contrariis, quod Angelus est in loco per operationem, aut ubicationem: quia ratione earum corpori approximatur & illud tangit. *Min. autem prob.* quia Angelus per suam entitatem est pars universi, & est in illo tanquam pars in toto: ergo per suam entitatem est corpori conjunctus & immediatus. *Ant. est certum & Conseq. prob.* quia non potest esse in toto continuo tanquam pars illius, quod non contingit immediate aliquam illius partem, estque illi immediata, ut constat lumine naturali: Nam pars in tantum est talis, in quantum alteri conjungitur, quod enim non conjungitur alteri, non potest esse pars illius; sed Angelus est in universo per suam entitatem tanquam pars illius: ergo necessario contingit immediate aliquam partem illius per suam entitatem. *Tum sic:* sed partes hujus universi sunt corpora, quæ sine discontinuatione illud constituunt: ergo Angelus ut pars universi, non potest non tangere per suam entitatem aliquod corpus illius, ac consequenter esse illi immediatus.

55 *Confirmatur.* Quia Angelus per suam entitatem est in universo: ergo est alicubi. *Prob. Conseq.* Nam Angelus non est in toto universo per suam entitatem: ergo per suam entitatem est in aliqua parte universi. Est in aliqua parte universi: ergo ita est in illa, ut nihil mediet inter ipsum, & talem partem, habeatque distantiam mensurabilem ad alias partes: at hic modus essendi est modus essendi in loco: ergo Angelus per propriam entitatem est verè & propriè in loco.

56 *Deinde:* quia Angelus non potest esse in loco per operationem. *Tum* quia sicut prius est esse, quam operari; ita prius est esse in loco, quam operari in illo: ergo operatio

An-

Angeli necessariò supponit illum in loco. Tum quia quod est conditio ad agendum, est pro priori in agente ad operationem: sed approximatio agentis est conditio necessaria, ut operetur in passo: ergo talis approximatio ad passum est necessaria in agente pro priori ad operationem: ergo Angelus antequam operetur in passo, est pro priori illi approximatus; consequenter illi præsens & in loco.

57. *His Resp. Contrarii*, omnia ista veritatem habere in rebus corporeis; secus autem in spiritualibus, quales sunt Angeli, nosque rudi minerva continuum non transcendere, nec imaginari Angelos ut omnino independentes à corpore: atque adeò Angelos non operari, quia sunt in loco: sed operari, ut sint in loco: quia non possunt esse in loco per quantitatem, aut molem, cum sint spirituales; sed solum per quantitatem virtutis, quæ solum operatione exercetur.

58. *Sed Contra stat*, quod nos discurremus ex principiis Philosophicis, quæ contrarii negant in Angelis esse vera: quia aliter non possunt suam opinionem sustinere. *Uterius.* Quia hæc propositio est vera: Angelus ubi non est, non potest operari: ergo prius est esse in eo, in quo Angelus operatur, quam ipsa ejus operatio. *Conseq. inferitur, & Ant. videtur certum.* Nam à contrario: si ubi non est, potest operari: ergo operatio ejus non inferit ibi esse: ergo operatio non potest esse ratio essendi in loco: sicuti qui divina virtute operaretur in distans (ut docent Philosophi contingere posse) non ex eo quod operaretur; posset inferri, quod esset ibi præsens.

59. *Conf.* quia Angeli creati sunt in Cælo Empyræo tanquam in loco, ut docet Thomistarum Sententia; sed in Cælo Empyræo nullam exercent operationem: ergo non sunt in Cælo Empyræo per operationem. *Maj. cum consequ. tenet, & Min. prob.* recensendo modos operationis excogitatos à Contrariis. Primum enim Angeli non possunt causare & efficere motum in Cælo Empyræo; quia omnium consensu est immobile: ergo in illo non possunt motum causare. Deinde Angeli in Cælo Empyræo non causant lucem, ut communiter docent Thomistæ. 1. quia id sine fun-

amento dicitur, cum Empyræum sit natura sua lucidum, & fuerit creatum à Deo cum omni sua perfectione: ergo cum omnimoda luce. *II.* quia Angeli vel illuminarunt Empyræum ante eorum beatitudinem, vel post illam: si post illam: ergo ante illam erant in Cælo Empyræo; quia prius creati fuere, quam fuerint beati. Si vero Cælum Empyræum illuminarunt in ipso instanti creationis; sequitur quod dejectis Angelis de Cælo Empyræo, defecerit ei illuminatio tot Angelorum, quot ceciderunt, quorum pars magna fuit: & sic Empyræum variabile foret penes lucem, quod durum est concedere. *III.* quia sequeretur quod Angeli, qui descendunt in terram, desinerent Cælum illuminare. Nam quando sunt in terra, non sunt in Cælo, ut docent PP. eo quod Angelus non potest esse in duobus locis: ergo descendentibus in terram Angelis eorum illuminatio deficeret à Cælo Empyræo. Si verò dicatur quod è terra illuminant Empyræum, necesse est dicere quod eorum virtus illuminatrix è terra pertingit ad Cælum, & similiter è Cælo ad terram; atque adeò, quod existentes in Cælo possunt terram illuminare; aliaque plura, quæ satis dura apparent: ergo Angeli non sunt in Cælo Empyræo per efficientiam, & operationem lucis.

60. Alii docent quod Angeli habent influxum in Cælum Empyræum, ut per id influant in hæc inferiora. Sed in primis est omnino incertum, quod Empyræum influat in hæc inferiora: & probabilius, quod influxum non habet, de quo fortè alio loco; ac consequenter quod ad hunc effectum non habent influxum in Empyræum. Deinde quia post finem Mundi non erit influxus Cælorum in hæc inferiora, & Angeli erunt localiter in Empyræo: ergo nec modo sunt in eo per influxum, & operationem.

61. *Ultimo stat. contra prædictam sententiam*, quod Deus potest creare Angelum A in polo Arctico, & Angelum B in polo Antarctico, & potest ab utroque suspendere suum concursum ad operationem, quo casu unus esset in polo Arctico, & alter in Antarctico, & neuter esset per operationem: cum non possit esse deficiente Dei concursu, unusque esset privè distans ab alio, quantum est distantia ab Arctico ad Antarcticum; ergo tunc illi Angeli essent in illis locis per

suam

suam substantiam seu entitatem & non per operationem. Si autem vi argumenti dicatur, eo casu eos Angelos nullibi fore; *stat Contra* quod illi Angeli essent intra universum, & consequenter in aliqua parte universi. Plura alia mittimus; quia dicta sufficiunt.

62 Ex his disjecta manet quælibet Sententia, quæ ponit existentiam Angeli in loco per operationem, aut productionem *ubi*, aliumve modum præsentia: quia Angelus ante omnem operationem per suam substantiam & entitatem debet esse immediatus & conjunctus subjecto, in quo operatur. Eliciturque ex dictis (quod est valde notandum) quod licet Angelus ut est pars universi, possit mutare loca; non potest absolvi ab aliquo loco vagè sumpto intra universum: quia pars necessario habet conjungi cum alia parte, consequenterque nec potest consistui in spatiis imaginariis; sed debet esse in aliquo loco determinatè.

63 *Arg. I. contra nostram Sententiam*; quia Angelus est substantia spiritualis completa, omnino à corpore independens; sed hoc ipso non potest esse in loco corporeo, nisi per operationem: ergo est in loco corporeo per operationem. *Maj. videtur certa, Minor prob.* quia Angelus hoc ipso, quod sit independens à corpore in esse & operari; non potest locum contingere, nisi ratione sui esse, vel ratione suæ operationis; sed illum non contingit ratione sui esse; cum per suum esse, seu essentiam sit independens à corpore: ergo hoc ipso, quod Angelus sit substantia complete spiritualis à corpore independens, non potest esse in loco corporeo, aut illum contingere nisi per operationem.

64 *Conf.* Quia Angelus non potest esse in loco, nisi per contactum quantitativum, aut per contactum virtutis consistentem in ejus operatione; sed in Angelo non potest esse contactus quantitativus, cum careat quantitate: ergo solum potest esse in loco per contactum virtutis, seu ejus operationem.

65 *Resp.* quod licet Angelus sit substantia spiritualis completa à corpore independens quantum ad sua prædicata, in esse & operari; ex vi tamen præsentis providentiæ, qua creatus est ut pars universi, habet necessariam conjunctio-

nem

nem cum aliquo corpore universi, quia partes habent necessariam conjunctionem in toto. *Fatetur* itaque, quod Deus potest creare Angelum nullo creato corpore, quia Angelus est essentialiter à corpore independens, sicuti potest etiam creare corpus A solum, nullo alio corpore creato: ceterum sicut creato solo corpore A, tale corpus existeret, & non esset in loco; quia esse in loco est correlativum loci, & locus non existeret; sic Angelus potest à Deo creari quin existat in loco corporeo; attamen ex suppositione quod creatur à Deo, ut pars universi, non potest non contingere aliquam partem illius, & esse connexus in existendo cum aliqua parte illius vagè sumpta, ad modum quo pisces in mari habent necessariam connexionem cum aliqua maris aqua vagè sumpta; licet cum nulla habeant determinatè connexionem. Sic Angelus cum nullo corpore determinatè sumpto habet necessariam connexionem; attamen hoc ipso, quod sit pars hujus universi, habet necessitatem, & connexionem vagam cum aliquo corpore.

66 *Ad Confirm. Resp.* quod licet Angelus non possit esse in loco per contactum quantitativum antecederet ad operationem; est necessarium, quod sit in loco corporeo per contactum entitativum per sui immediatam inexistentialitatem, ita ut inter Angelum, & corpus nihil mediet, quod nos facile capimus; quanquam adversarii velint prædictam immediationem solum posse tribui ejus operationi.

67 *Arg. II.* quia si Angelus esset in loco corporeo per suam entitatem, & substantiam; necessario esset in loco indivisibili, ita ut non posset esse in majori, aut minori; sed hoc est falsum: ergo Angelus non est in loco per propriam entitatem, & substantiam. *Prob. Maj.* quia si esset Angelus in loco per propriam substantiam; non posset occupare locum majorem sua substantia; sed substantia Angeli est indivisibilis: ergo solum posset occupare locum indivisibilem; consequenterque non posset occupare locum, ut quatuor, aut sex.

68 *Conf.* Quia si Angelus esset in loco per propriam entitatem, esset naturaliter in loco: ergo necessario esset in toto loco correspondenti, ita ut non posset esse in minori loco.

Ant.

Ant. videtur certum : quia quod convenit ratione propriæ entitatis , convenit naturaliter. *Conseq. prob.* quia Agens naturale operatur totum quod potest , nisi aliunde impediatur : ergo Angelus existens naturaliter in loco , occuparet naturaliter tantum locum , quantum posset occupare , ita ut non posset esse in minori loco ; *Ant. constat* in igne , qui producit totum calorem quem potest , si non impediatur : & idem est de aliis causis naturalibus ; quia non operantur liberè , sed necessariò ex vi totius virtutis , quam habent ad effectum.

69 *Resp. ad hoc arg. I. negata Minori* de quo postea. *II.* manifestè instari in anima rationali , quæ eo quod spiritalis est , omnino est indivisibilis ; potest tamen informare minus , & majus corpus : quæ informat minus corpus in infanzia , & majus corpus in statu virilitatis , & eadem est indivisibilis anima. Sic igitur Angelus licet sit indivisibilis , potest occupare divisibilem locum , & se potest constituere in indivisibili loco : quia licet ut pars universi , non se possit absolvere à loco ; attamen propter sui perfectionem habet libertatem occupandi totum locum adæquatum , vel solam aliquam partem illius. *Unde negata Majori ultimi syllogismi , corruit arg.* sed de hoc postea.

70 *Ad Confirm. Resp. concesso Ant. & conseq.* Alii autem respondent , quod licet Angelo prout est pars universi , per propriam entitatem conveniat esse in loco , & id naturaliter ; tamen non convenit ei per propriam entitatem esse in determinato loco adæquato. *Ex. Gr.* ut in A ; sed potest pro sua libertate esse in B. aut C. &c. Ita licet per propriam entitatem sit naturaliter in loco ; tamen licet sit indivisibilis pro sua libertate potest se extendere ad totum locum , vel solum ad partem loci : unde in hoc non operatur ad modum causæ necessariæ , quæ operatur quantum potest ; sed ad modum causæ liberæ , quæ solum operatur quantum libet : eo modo , quo existentia Corporis Christi sub speciebus Sacramentalibus determinatur per Sacerdotis consecrantis arbitrium.

71 *Arg. III.* Angelus non potest esse in loco , nisi ad locum se applicet ; sed non potest se ad locum applicare nisi per suam operationem ; nam applicatio operatio est : ergo non potest esse in loco , nisi per suam operationem.

Resp.

72 *Resp.* quod Angelus non potest esse in loco, in quo ante non erat, nisi existens antecederet in loco, per motum acquirat prædictum locum de novo; motus autem in Angelo est operatio, qua per propriam entitatem existit loco A. & se applicat loco B: potest tamen Angelus esse in loco, quin se applicet active, per applicationem passivam Dei, sicut fuere Angeli in Cælo in primo instanti suæ creationis: illum enim locum non occuparunt per proprium motum; sed per hoc quod eorum entitates creatæ sunt immediatè existentes cum cælo: unde licet Angelus antecederet existens in loco, ad acquirendum novum locum indigeat motus operatione; attramen ad existendum in loco non indiget Angelus propria operatione, ut amplius ex dicendis proximè constabit.

73 *Ex dictis constat*, quod Angeli fuere in loco cum primo creati sunt, & non per propriam operationem; sed per actionem Dei: ex quo sequitur etiam posse etiam Angelum esse in loco per vim, & actionem superioris agentis: qualiter Deus detrusit Dæmones in infernum. Raphael Angelus dæmonem in desertum superioris Egypti. Dæmon superior loco illigat Dæmonem inferiorem. Sicque animæ Justorum erant in Limbo Patrum ante adventum Christi usque ad ejus gloriosam Resurrectionem: atque in Purgatorio animæ Justorum, quæ ex hac vita decessere cum debito temporalis penæ: & in proprio loco animæ puerorum, qui non suscepto baptismo ante usum rationis obiit: quæ omnes fuere, & sunt prædictis locis verè & propriè passivè detentæ per vim, & actionem superioris agentis.

74 Judicamus autem quod Dæmones, & animæ damnatæ detinentur in inferno immediate à Deo, & similiter detentæ fuere animæ Justorum in Limbo Patrum, & pariformiter detinentur animæ in Purgatorio, & in proprio loco animæ puerorum decedentium sine baptismo, & ante usum rationis. Nam non mihi videtur conformæ Divinæ bonitati Dæmones deputare ministros detentionis animarum sanctarum. An autem Deus exequatur prædictam detentionem mediis Angelis Sanctis, tanquam ejus ministris: fatemur ignorare. Quando autem Dæmon superior detinet in loco inferiorem; necesse est, quod superior immediatè, & per se, aut virtute detenti-

va coexistat inferiori, alioquin abscedente superiori, distanteque virtute detentiva, inferior poterit immediate moveri ad alium locum, ad modum quo, qui non potest ambulare, quia pedes habet ligatos; ablato ligamine potest immediate ambulare.

ART. XI. *An Angelus habeat extensionem in loco?*

75 **H**Oc est: An possit occupare locum majorem aut minorem, non in infinitum, sed intra terminum determinatum. An verò sit necessariò ejus locus indivisibilis: communis Theologorum sententia tenet, locum Angelorum habere latitudinem, & extensionem *Ex. Gr.* mille passuum, aut duo millia, secundum cujusque perfectionem, ita ut sphaera illius major sit, vel minor juxta eam; sed me judice id communiter supponunt sine autoritate S. Scripturæ Conciliorum, aut PP.

76 Dicendum nobis cum aliquot antiquorum, quod locus Angeli nullam habet extensionem, latitudinem, aut divisibilitatem, sed est omnino indivisibilis. Hæc sententiâ est consentanea dictis quæstione precedenti de modo quo Angeli sunt in loco: & *prob.* quia contactus Angeli ad Corpus commensuratur ejus entitati, nam ea ratione qua tangit corpus, immediate est in loco; sed Angelus solum potest tangere corpus secundum indivisibile: ergo solum potest esse in loco secundum indivisibile. *Maj. est nostra sententia; Min. prob.* quia Angelus non tangit immediate corpus, nisi per suam entitatem; sed ejus entitas est indivisibilis: ergo non potest tangere corpus, nisi secundum indivisibile, ad modum quo corpus perfecte sphaericum supra perfecte planum, non tangeret illud, nisi indivisibili.

77 *Confirm.* Auctores enim contrarii communiter docent, quod si locus adæquatus Angeli *Ex. Gr.* sit quatuor palmorum in longitudine, latitudine, & profunditate, potest totum locum occupare; potest dimidium, potest quartam partem: imò potest consistere in puncto, quia liberè se

applicat loco. *Ponamus ergo*, quod se totum constituat Angelus in puncto, & non existat in ceteris partibus loci adæquati. *Tunc queritur*, an occupet locum, quem antea non occupabat sine nova operatione, aut per novam operationem? Sine nova operatione videtur impossibile; quia sine nova operatione antea solum erat in puncto: ergo sine nova operatione non potest esse extra punctum.

78 *Dices*: Angelum existentem in puncto, solum egere nova applicatione ad replendum locum adæquatum. *Sed contra stat*: quia hæc applicatio non est nisi contactus Angelii ad corpus, ad quod non habebat ante contactum; sed contactum non potest habere, nisi secundum indivisibile: eo quod non potest illum habere, nisi ratione suæ entitatis: ergo non potest habere applicationem ad locum, in quo antea non erat, nisi per quid indivisibile.

79 *Conf. ulterius contra Adversarios*, qui adstrunt posse Angelum esse in extremis loci, quin sit in medio: cum ergo Angelus existens in A, & non in B, & incipit esse in C, in quo antea non erat; vel incipit esse cum aliqua sui mutatione, vel sine aliqua sui mutatione, hoc non potest dici: quia idem manens, idem non potest suscipere novam denominationem realem physicam; at Angelus existens in A, & de novo existens in C, in quo antea non existerat, suscipit novam denominationem realem existentis in C: ergo hoc fieri non potest sine aliqua mutatione reali ex parte Angeli. Hæc autem mutatio solum potest fieri per motum localem: nam non videtur intelligibile esse in loco, in quo antea non erat Angelus sine motu ad illum, quod non aliter potest fieri, nisi ratione indivisibilis contactus ad corpus.

80 *Nec valet dicere*, quod Angelus per novum actum voluntatis incipit esse in C, in quo antea non erat: quia sicut Angelus non potest per suam voluntatem esse in duobus locis adæquatis, ut docent Adversarii, eo quod hoc est ei impossibile: ita si est Angelo impossibile contingere corpus, nisi secundum indivisibile, non potest extendi pro sua libertate ad occupandum locum divisibilem.

81 *Arg. I.* Nam anima rationalis, etsi spiritualis, & indivisibilis, potest informare minus, & majus corpus, ut constat: stat;

stat; quia in infantia, & pueritia informat minus corpus, & in adolescentia, & virilitate majus corpus: ergo similiter licet Angelus sit spiritualis, & indivisibilis; potest occupare minorem, & majorem locum. *Resp. neg. Conseq.* Hæc ratio discriminis est, quia anima rationalis est per se forma corporis, & constituit unum cum corpore: unde accrescentibus partibus corpori, necesse est quod prædictas partes informet, licet indivisibilis sit; Angelus tamen non unitur loco, tanquam forma, nec ex illo, & loco resultat unum per se; sed loco unitur contactu entitativo, ad modum quo se tangunt immediatè duo lapides: cumque contactus entitativus Angeli ad corpus solum possit esse secundum indivisibile, solum secundum indivisibile potest occupare locum.

82 *Arg. II.* Nam juxta nostram sententiam Angelus non potest operari, ubi non est physice præsens; sed Angelus operatur in loco extenso: ergo Angelus est physice in loco extenso. *Maj.* est certa; *Min.* videtur nota ex experientia: & *Conseq. tenet.* *Resp.* quod licet Angelus operetur in loco extenso; non operatur ratione extensionis præsentia, sed extensione virtutis, sicut homo, qui distantem hominem percutit lapide, ictum operatur in illo non ratione immediatæ præsentia, sed ratione activitatis virtutis, quæ cuique Angelo convenit ratione suæ naturæ major, vel minor; atque adeò cum Angeli operantur in extenso loco, non operantur, quia sunt indivisibiliter in toto eo; sed quia ad totam illam extensionem extenditur eorum vis operativa.

83 *Arg. III.* Nam nobiliori agenti debetur major extensio in ordine ad locum; sed Angelus inter agentia creata est nobilissimum agens: ergo debetur illi major extensio in ordine ad locum. *Resp.* quod nobiliori agenti solum debetur extensio in ordine ad locum, cujus est capax; secus autem si sit incapax illius: cumque Angelus sit incapax prædictæ extensionis, nullatenus potest eam habere.

84 Ex his in nostra sententia liberi sumus à discutiendis aliis quæstionibus: ut an Angelus possit esse in extremis loci adæquati, & non esse in medio, quia nostrâ sententiâ locus adæquatus Angeli est indivisibilis.

ART. XII. *An Angelus possit esse naturaliter in duobus locis?*

85 **C**ommunis Theologorum sententia id negat, cum quibus *dicendum nobis*, quod Angelus non potest naturaliter esse in duobus locis adæquatis. Diximus *naturaliter*: nam loquendo de potentia Dei absoluta id concedent, qui concedunt, quod idem corpus potest esse in duobus locis adæquatis; & cum Christus modo supernaturali sit in diversis hostiis consecratis; poterit & Angelus modo supernaturali esse in diversis locis: unde solum loquimur de potentia naturali Angeli.

86 Ratio nostræ sententiæ facilis est in nostra sententiæ. Nam præsentia Angeli in loco commensuratur ejus entitatis: quia per ejus entitatem est formaliter in loco; sed entitas Angeli est unica: ergo ejus præsentia in loco unica est; & consequenter non potest existere in duobus locis adæquatis. *Conf. I.* Quia si Angelus possit esse in duobus locis, possit esse in tribus, quatuor, & sic de aliis: ergo posset esse in omnibus, & sic esse ubique, quod concedi non potest; nam non est major ratio de duobus, quam de tribus, & sic de aliis: ergo Angelus non potest esse in duobus locis.

87 *Confirm. II.* Quia Christum existere in duobus locis modo supernaturali est miraculum: ergo etiam Angelum existere in duobus locis esset miraculum; eo quod sicut corpus commensuratur loco per suam entitatem: ita Angelus per suam entitatem loco commensuratur, & est in illo: unde sicut corpus non potest esse in duobus locis sine miraculo; ita Angelus sine miraculo non potest esse in duobus locis, & consequenter non potest esse in illis naturaliter.



ART. XIII. *An plures Angeli possint esse in eodem loco?*

88 **T**homistæ cum asserant Angelum esse in loco per operationem, varias combinationes excogitant, in quibus docent plures Angelos posse esse in eodem loco; cæterum naturaliter, & regulariter plures Angelos non posse esse in eodem loco, quando Angelus est adæquatè sufficiens ad operationem; nam frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora: & quando una causa totalis est sufficiens ad effectum, alia naturaliter non potest simul concurrere ad illum producendum. Hæc est Thomistarum sententia suis innixa principiis.

89 Communis Theologorum sententia tenet plures Angelos (naturaliter loquendo) posse esse in eodem loco, quam veram censemus. *Prob. que I.* ex Luca cap. 8. Nam dæmonum ut legio, quæ constat 6666. erat in homine misero; unde cum tot essent, non se loco excludebant: ergo plures Angeli possunt esse in eodem loco. *II.* Quia Exorcistæ non solum unam legionem dæmonum; verum plures possunt ligare in infimo pedis ungue: ergo possunt plures esse in eodem loco. *III.* Quia in possessis à dæmone, dæmon, & anima rationalis simul consistunt loco: nam ubi est anima, ibi est & dæmon: ergo potiori jure ubi est unus Angelus, & alter potest esse. *IV.* Et est potissimum fundamentum; quia quod non est corporeum, seu quantitate præditum, aliud incorporeum à loco non excludit, ut patet in cognitionibus, quæ simul sunt in eodem intellectu, ut patet in anima Christi Domini, in qua simul fuere cognitio clara Dei, cognitio supernaturalis, & experimentalis; & idem contingit in speciebus intellectualibus, & non alia ratione, nisi quia corpore carent: ergo si Angeli sunt incorporei, non se excludunt à loco; sed in eodem possunt esse plures.

ART. XIV. De Motu Angelorum.

90 **Q**Uantum ad motum Angelorum, constat ex Scriptura habere vim intrinsecam se movendi sicuti viventia inter inferiores creaturas: idque patet ex omnibus locis, quibus ex ascensu & descensu supra probavimus contra Durandum, Angelos non esse ubique: nihil ergo est motus Angelorum, nisi acquisitio novi loci, ex loco in quo antea erat, ad modum quo loco moventur creaturæ corporales vita prædita.

91 *Queritur ergo 1. An Angelus possit moveri motu continuo?* Moveri motu continuo non est aliud quam derelictis partibus spatii aliàs successive & sine intermissione acquirere: hoc autem modo conveniunt Theologi posse Angelum moveri: quippe potest existens in A derelinquere existentiam ejus, & existere immediate in B, & postea successive & sine intermissione in C, & sic de aliis percurrendo omnes partes spatii; sed sic moveri est moveri motu continuo ergo potest Angelus moveri motu continuo: & tali modo moveri motu recto motu circulari, motuque cujuscvis figuræ Geometricæ.

92 *Ex his infertur*, quod etiam Angelus potest moveri per accidens: nam moveri per accidens est sine propria actione moveri ad motum alterius, ut homo sedens in curru, qui non se movet, & per motum currus acquirit novum spatium, seu locum; sed potest Angelus moveri ad motum alterius sine proprio motu: ergo potest moveri per accidens. *Prob. Min.* Nam dato quod Angelus existat in loco superiori Crucis, Crux illa immoto Angelo in ea, potest deferri Matrilo, Toletum: quo casu Angelus distaret leucis duodecim Matrilo; sed hoc non per proprium motum, ut supponimus: ergo per motum deferentis crucem. Idem contingeret, si possessus à dæmone de uno loco ad alium transferretur, ut Matrilo Complutum; ex quo dæmon proximior esset Guadalfajaræ, quam Matrilo: ergo potest Angelus moveri motu per accidens.

ART. XV. *An Angelus possit transire de loco in locum, quin transeat per medium?*

93 **U**T Matrilo Romam, quin transeat per interjecta spatia, ad modum quo intellectus cogitans de Matrilo, potest cogitare de Constantinopoli, non cogitando de his, quæ sunt intermedia. Thomistæ conformiter ad suam sententiam de modo quo existunt Angeli in loco, per propriam operationem, qua operantur in corpore, docent consequenter posse Angelum de loco in locum distantem transire, seu moveri, sine transitu per interjectum spatium. Scotistæ verò, & Jesuitæ communius cum Suarez negant.

94 *Dicendum nobis*, quod Angelus (naturaliter loquendo) non potest de uno loco ad alium transire, nisi transeat per spatium medium. *Variè prob. nostra sententia ab ejus defensoribus.* I. Quia anima rationalis non potest informare partes corporis extremas, quin intermedias informet: ergo nec Angelus transire de loco in locum, quin transitus fiat per medium. Verrum ad hoc fundamentum *respondent contrarii* quod anima est forma corporis; & ideo solum informat partes corporis prout illi uniuntur, & cum uniantur illi per immediationem: ideo non potest informare partes extremas, quin intermedias informet; at vero Angelus est omnino independens à loco, potestque ab omni loco absolvi, estque in illo per voluntariam operationem: unde pro sua libertate existens in uno loco, potest se applicare per operationem in locum distantem, quin operationem applicet ad spatium intermedium. Attamen hæc principia jam sunt disjecta; quia ostendimus Angelum non esse in loco per propriam operationem, sed per propriam substantiam, nec se posse absolvere ab omni loco.

95 *Prob. II.* Quia ex statu futuro ad statum præteritum non potest dari transitus, nisi per medium præteritum: ergo, nec po-

potest Angelus transire de extremo ad extremum, nisi per medium. *Respondent Thomista*, quod præteritum præsupponit essentialiter præsens, & futurum, habentque inter se essentialem ordinem; & idè futurum non posse transire in præteritum, nisi per præsens; cum autem Angelus sit liber in existendo in loco, potest transire de loco in locum, quin existat in medio, juxta eorum doctrinam.

96 *Prob. III.* Quia in naturalibus non datur transitus de una forma in aliam, nisi per intermedias formas, & dispositiones, ut inconfesso est apud omnes Philosophos: ergo nec in Angelis transitus de loco in locum, nisi per interjectum spatium. *Respondent adversarii*, in rebus naturalibus, & corporeis non posse fieri transitum ex una ad aliam formam, nisi per formas intermedias, quia id lege naturæ habetur, sicut quod unum corpus non transeat de loco in locum, quin pertranseat loca intermedia; oppositum autem contingere in Angelis ex propria natura.

97 *Sed Contra stat*: quia dicere, quod Angelus potest transire de loco in locum, quin transeat per medium, & hoc ei convenire per propriam naturam, est assertio voluntaria, fundata in ea thesi, quod Angelus est in loco per voluntariam operationem: at prædicta thesis est falsa, ut constat ex dictis: ergo & solutio. *Uterius*: quia in his, quæ non constant ex divina revelatione, nec auctoritate Ecclesiæ, ex nobis notis, de nobis non notis debemus discurrere: at in rebus corporalibus lege naturæ nulla creatura potest transire de loco in locum, nisi transito spatio interjacente: ergo idem dicendum de Angelo, cujus modus se movendi est nobis ignotus. *Deinde*: quia Angelus est pars hujus universi; ergo debet subesse illius legi, & ordini: at nulla creatura in universo potest transire de extremo ad extremum, non transeundo per medium: ergo nec id potest Angelus attenda sua natura.

98 *Prob. IV.* Quia si Angelus posset transire de extremo ad extremum, non transeundo per medium; posset quantum est ex se, transire in extremum infinite distans: sed hoc dici non potest; quia vis se movendi non potest non esse finita, & limitata in Angelo: ergo non potest se movere
de

de extremo ad extremum nisi pertransito medio. *Prob. Maj.* quia hoc ipso, quod Angelus de extremo ad extremum posset transire non pertransito medio, posset operari in C. infinite distans ab A, non operando in B; esto spatium B. esset infinitum: quia est liber in operando in medio, unde infinitas spatii medii nihil illi obstaret quia esset quasi non esset: ergo Angelus quantum est ex se posset transire in extremum infinite distans.

99 *Prob. V.* Quia si Angelus posset transire de loco in locum distantem, non transeundo per medium; posset etiam corpus transire de loco in locum, non transeundo per medium; sed hoc non concedunt Auctores Contrarii: ergo nec affirmare, quod Angelus possit transire de loco in locum, non transeundo per medium. *Prob. Maj.* Quia corpus potest assumi ab Angelo, & moveri per accidens ad ejus motum, sicuti diximus de ipso Angelo: ad modum, quo formica insidens in aquila, moveretur per accidens ad motum aquilæ; sed Angelus potest moveri de extremo ad extremum non pertransito medio: ergo similiter motu per accidens posset corpus assumptum ab Angelo moveri de extremo ad extremum, non transeundo per medium.

100 *Dices*, quod Angelus assumpto corpore non potest illud movere nisi juxta capacitatem ipsius corporis; cumque corpus non possit pertransire de extremo ad extremum, nisi transeundo per medium; ideò Angelus non potest illud deferre de uno extremo ad aliud, nisi transeundo per medium. *Sed Contra est*: quia corpus assumptum ab Angelo non tollit ab eo se movendi virtutem, nec virtutem secum movendi corpus sibi conjunctum; sed Angelus se potest movere de extremo ad extremum non transeundo per medium, & potest secum deferre corpus: ergo, licet corpus non sit capax per se transeundi de loco in locum non transeundo per medium; tamen per motum per accidens ad motum Angelus potest transire de extremo ad extremum non transeundo per medium.

101 Fundamentum Contrariæ sententiæ situm est in hoc, quod Angelus est in loco per operationem, & potest pro sua libertate operari in extremis, & non in medio, quod jam

principio Disp. falsum ostendimus. *Nec valet dicere* quod intellectus noster potest cogitare de rebus inter se distantibus, quin cogitet de rebus intermediis, ut cogitans de Matritō potest immediate cogitare de Roma, quin cogitet de locis intermediis: sicque Angelus esse localiter in A, & inde transire in C, quin sit in B medio. *Non*, inquam, id *valet*: quia res non sunt in intellectu modo reali, prout sunt in se; sed modo intentionali mediātibz speciebus: & licet objecta realia sint inter se distantia; species tamen eorum non sunt distantes ab intellectu, & immediate unitæ cum illo; atque adeò potest modo uti una, & modo uti altera, etsi inter se objecta distent realiter in, quo non intervenit motus localis, quod non contingit in Angelo.

ART. XVI. *An motus Angeli possit fieri in instanti?*

102 **S**Upponendum ex jam dictis, quod locus Angeli est indivisibilis, atque adeò cum movetur de uno ad alium locum, totum terminum à quo deserit, & acquirit terminum *ad quem*, quod quo modo fiat tractant Philosophi per nunc non esse, & esse immediate ante, & nunc esse, & immediate ante non esse. Nec quæritur, an Angelus in eodem instanti possit esse in termino à quo, & in termino *ad quem*; hoc enim ex se apparet impossibile: quia ad motum necessario requiritur desertio termini à quo & tendentia ad terminum *ad quem*: & dum est tendentia ad terminum *ad quem*, est necessarium deferere terminum à quo, nam in hoc consistit ratio motus localis.

103 Cum ergo Angelus non possit transire per motum localem de uno extremo ad aliud, nisi transeundo per medium; tota difficultas est: an Angelus possit in unico instanti ex termino à quo percurrere spatium medium, & esse in termino ad quem. Et quidem Angelos esse motu velocissimos nemo diffitetur; & quanquam eorum esse, & eorum operationes non mensurentur per se tempore nostro; tamen operationes eorum per tempus nostrum regulari possunt,

sunt, ut si dicamus Annuntiationem B Gabrielis Archangeli ad Sanctissimam Virginem Mariam de Incarnatione Filii Dei durasse per dimidium quadrantis horæ, & postea discessisse ab ea.

104 Etenim apud Catholicos certum est, quod animæ justorum corpore solutæ, & nulli debito pænæ obnoxia in primo instanti separationis à corpore sunt in Cælo, & si sunt obnoxia debito temporalis pænæ, sunt in Purgatorio, & puerorum, qui ante usum rationis cum peccato originali decessere, in Limbo; ac damnatorum in Inferno; Animas autem justorum deferri ab Angelis in Cælum pie credit Ecclesia in officio defunctorum, & damnatorum detrudi in infernum à Dæmoniis: at hic motus instantaneus dici potest non fieri ab Angelis, & Dæmoniis virtute propria naturali, sed virtute divina: ab Angelis quidem, ut ministris Divinæ Omnipotentia: à Dæmoniis, ut ministris divinæ justitiæ, si enim constaret, hoc fieri ab eis propria virtute naturali, facillime constaret motum Angeli posse fieri in instanti.

105 *Dicendum potius mihi*, quod motus Angeli non fit in instanti, sed in brevissimis morulis. Conjectandi ratio est, quia unus Angelus præ alio habet potiore intellectum, alius præ alio habet potiores vires ad movenda corpora: ergo & alius præ alio habet potiore facultatem se velocius movendi. Nam si in intellectu, & virtute operativa datur excessus in Angelis; non est ratio, qua negetur excessus in vi, seu facultate se movendi. *Tum sic*: sed si motus Angeli esset in instanti, motus unius Angeli non posset esse celerior motu alterius, quia uterque fieret in instanti: ergo si motus unius Angeli est celerior motu alterius; nullius motus fit in instanti.

106 Quanta autem sit celeritas Angelorum in se movendo, Nobis imperceptibilis, & solis ipsis Angelis nota. Facultas autem se movendi in Angelis non est ipsius intellectus, nec voluntas; quia moveri non constituit Angelum intelligentem, aut volentem; sed est facultas realiter indistincta ab ipsa substantia Angeli, sicuti facultas se movendi in viventibus.

ART. XVII. *De Cognitione Angelorum.*

107 **A**ngelos esse creaturas intelligentes supponunt Theologi, & constat certissimè ex Scriptura. *Tum* quia Angeli Sancti vident Deum, hoc est, cognoscunt Deum prout est in se. *Tum* quia loquuntur, & locutio nihil est aliud, quam manifestatio conceptus mentis. Cognitionis autem cum sit operatio, est quid realiter distinctum à substantia Angeli: nam operari sequitur ad esse, & operatio supponit naturam constitutam; quod autem supponit aliud constitutum, realiter ab eo distinguitur: unde cognitio Angelica non potest non esse realiter distincta ab Angeli substantia, natura, & essentia; licet ejus facultas intellectiva non sit realiter distincta ab ejus substantia: eo modo quo plures defendunt potentias animæ non esse ab ea realiter distinctas. Unde primo discutiendum, quæ objecta cognoscat, & postea quonam modo ea cognoscat.

108 Certum igitur est etiam Theologis, quod Angeli ea quæ in se ipsis non cognoscunt immediate, cognoscunt mediantibus speciebus, quæ sunt imagines objectorum, eo modo, quo in speculo repræsentantur imagines rerum corporalium, & in illis res ipsas cognoscimus; & tales species sunt necessariæ Angelis, quando res sunt distantes, vel à parte rei non existunt, ut præterita, & futura; hoc autem pertinet ad modum cognoscendi.

109 *Queritur ergo I. an Angelus se immediate cognoscat?* Nullus Theologorum dubitavit Angelos se cognoscere; nam qui alia cognoscunt, quanto magis se. Quod autem se immediate cognoscant, & non per speciem. *Prob.* quia objectum, quod est per se ipsum immediate præsens potentia, per se ipsum immediate terminat actum illius, qua ratione beatus non videt Deum per speciem, sed immediate in se ipso; sed Angelus est sibi immediate præsens omni immediationem: ergo per se ipsum immediate terminat sui cognitionem, & consequenter se ipsum immediate cognoscit. *Sed dices:* anima rationalis est intime sibi præsens, & non se cognoscit immediate: ergo hæc ratio non subsistit. *Resp.* quod

quod anima rationalis, cum sit forma corporis, pro hoc statu dependet à sensibus in cognoscendo : unde se ipsam non potest immediatè cognoscere, quod non contingit in Angelis.

110 *Hinc sequitur*, quod Angelus quantum ad naturalia se perfectissimè cognoscit. *Ratio autem est*, quia nihil est de naturalibus, quod non sit sibi intimè præsens ; sed Angelus cognoscit omnia sibi intimè præsentia : ergo nihil est de sibi naturalibus, quod non cognoscat : ergo cognoscit ea perfectissimè ; cum cognitio perfectissima in hac linea ea dicatur, qua nihil latet cognoscentem de naturalibus objecti cogniti.

111 *Queritur II.* an Angelus Deum cognoscat ? Non loquimur de cognitione Dei immediatè, & in se ipso, nam hoc modo soli Beati cognoscunt Deum ; sed de cognitione naturali, & abstractiva, qua per effectum cognoscitur causa. *Dicendum*, quod Angelus necessariò cognoscit Deum esse, & omnes perfectiones ipsius, quæ ipsum constituunt in ratione primi principii, & causæ rerum omnium. I. Quia nulla creatura intellectualis potest ignorare Deum esse ; at Angelus est creatura intellectualis : ergo non potest ignorare Deum esse, & consequenter id necessariò cognoscit. *Maj. est certa*, ex his quæ diximus superius. II. Quia qui cognoscit relationem transcendentalem ad aliquem terminum, non potest non terminum cognoscere (nam relativa tempore sunt simul & cognitione) sed Angelus cognoscit se dicere relationem transcendentalem ad Deum : ergo non potest non Deum cognoscere. *Min. prob.* Quia Angelus sese perfectè cognoscit ; sed relatio transcendentalis ad Deum est de ejus intrinseca perfectione : ergo necessariò cognoscit talem relationem transcendentalem.

112 *Queritur III.* an Angelus cognoscat alios Angelos, & præcipuas orbis partes ? Certum est Angelos se invicem cognoscere. *Tum* quia Angeli constituunt quandam Republicæ speciem ; sed qui sunt de eadem Republica, saltem aliquot se invicem cognoscunt : ergo Angeli saltem sese invicem cognoscunt. *Tum* quia Angeli colloquantur inter se, ut constat ex Scriptura Sacra : ergo se invicem cognoscunt : nam locutio

cutio non fit, nisi inter præsentes (communiter loquendo) si autem sunt præsentes, necessariò se cognoscunt; etenim intellectus Angeli est quasi oculus corporeus, qui non potest non cognoscere objectum præsens: unde fit, quod sese cognoscant Angeli.

113. *Sed ulterius quæres*, an quilibet Angelus cognoscat, quotquot sunt Angeli in individuo? *Res omnino incerta*. Qui enim docent Angelos cognoscere per species à Deo infusas à principio suæ creationis, necesse habent dicere Deum ipsis infudisse à suæ creationis principio species, quotquot sunt Angelorum in individuo; & consequenter cum Angeli sint tot numero innumerabiles, erunt innumerabiles Angelorum species: nam per speciem universalem non possunt cognosci individua in particulari; quia ratio communis non potest esse representatio rei in particulari, ad modum quo per imaginem stellæ in communi non potest cognosci hæc stella in particulari: unde in hoc modo dicendi si quilibet Angelus actu cognoscit omnes alios Angelos; necesse est, quod omnium habeat species, & consequenter innumerabiles.

114. Quare in re nobis incerta censeo, quod sicut Angelus habet sphaeram determinatam in ordine ad locum, quia non ubique est, habetque in ordine ad operandum, & movendum corpora; cum non possit insulas, & montes transferre ad quemcumque locum: ita intellectus Angeli habet suam determinatam distantiam ad cognoscendum omnia objecta, quæ intra illam sunt; ea verò, quæ extra illam sunt, nullatenus cognoscere: atque adeò appropinquatione per motum localem cognoscere in individuo Angelos, qui non sunt præsentes in certa & determinata distantia suæ cognitionis.

115. In quantum ad universum, & præcipuas ejus partes, *dicendum videtur* Angelum perfectè cognoscere cælestes orbes, planetas, eorum motus, & stellarum Asterismos, & speciatim eos, qui præcipuum habent influxum in sublunaria: quia hoc videtur debitum perfectioni naturæ purè spiritali, exindeque horum species à primo creationis instanti eis inditæ fuerunt à Deo eorum creatore: & his nihil apparet, quod obstat. Caterum an Angelus cognoscat in indivi-

duo

duo omnes stellas; censeo idem dicendum, ac dictum de cognitione omnium Angelorum in individuo.

116 Quantum ad sublunaria censeo itidem Angelos cognoscere elementa, maris, & terræ partes, & omnium rerum corporalium genera, & species; quia hoc videtur congruere perfectioni naturæ Angelicæ; attamen mihi videtur actu non cognoscere omnia individua cujuslibet speciei: nam mihi incredibile apparet, quod actu cognoscat in individuo quotquot sunt arenæ in terra, & mari, quot herbas hoc anno terra produxit, quot folia arbores emisere, quot grana produxere fruges, aliaque hujusmodi: nam ad hoc esset necessaria infinitas specierum: unde censeo Angelos hæc in individuo cognoscere per approximationem, & indistantiam ab eis, eo modo quo dictum est.

ART. XVIII. *An Angeli cognoscant futura?*

117 **F**uturum dicitur, quod nunc non est, erit autem postea; & insuper duplex est: unum à causa naturali, & necessaria, ut Solis, aut Lunæ eclipsis; & aliud à causa libera, ut sunt omnia, quæ pendent ex libera voluntate creaturæ.

118 *Dicendum I.* quod Angelus perfectè cognoscens vim causæ necessariæ, cognoscit quantum est ex vi illius futurum effectum: & ratio est, quia causæ necessariæ natura sua habet necessariam connexionem cum effectu; nam ea ratione talis dicitur: ad modum quo ignis habet connexionem cum calore: ergo Angelus cognoscens causam necessariam effectus, positis omnibus necessariis ad operandum; non potest non cognoscere futuritionem effectus. Attamen cum sit necessarium ad hoc, ut causæ naturalis suum producat effectum, ut Deus annuat ejus causalitati, vel concurrat cum illa; non potest Angelus cognoscere absolutam futuritionem effectus naturalis; sed solum sub conditione, quod Deus annuat, ut patet in igne fornacis Babylonis, qui hujus defectu non habuit naturalem effectum combustionis. Requiritur insuper
ad

ad hoc, ut causa naturalis suum naturalem effectum producat, quod ab alia causa naturali non impediatur; uti vites, & arbores quandoque impediuntur à producendis fructibus à frigore, aliave aëris intemperie, aut supervenientibus tempestatibus: ita Angelus, ut cognoscat certò naturaliter futurum naturalem effectum, est necessarium, quod naturaliter cognoscat nullum superventurum impedimentum ad futuritionem effectus, sicque potest certò cognoscere illius futuritionem.

119 *Dicendum II.* quod Angelus nequaquam potest certò cognoscere futura contingentia, quæ unice pendent à libera voluntate creata. Hæc sententia est omnino certa. I. quia certò cognoscere futura libera est proprium, & peculiare Dei, ut innuit Scriptura, & SS. Patres testantur: ergo ea nequit certò cognoscere Angelus: quia id, quod est proprium Dei, nequit convenire creaturæ. *Ant. constat ex Isaia cap. 41. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis.* Idem innuitur cap. 46. aliisque locis Sacra Scripturæ. PP. videri possunt apud Petavium, & alios. Sufficiat Damascenus, qui lib. 2. de Fide cap. 4. ait: *Futura quidem neque Angeli, neque Demones sciunt.*

120 *II.* Quia futura contingentia libera non possunt certò cognosci ab Angelis in se ipsis, quoniam non existunt; nec certò cognosci in sua causa: ergo nullatenus possunt certò cognosci ab Angelo. *Ant. quoad secundam partem prob.* Nam causa libera antecedenter ad actum, est omnino indifferens ad illum, & ejus omissionem: ergo in illa non potest cognosci certò futuritio, potius quam non futuritio; quippe cum nullo extremo contradictionis habet necessariam connectionem. *Uterius:* quia etsi voluntas creata determinetur ad producendum effectum liberum pro determinato tempore, est semper contingens, quod revocet suam determinationem: ergo est semper contingens, quod futurum non sit: ergo nequit Angelus cognoscere futurum ut certò, & determinatè extitutum.

121 Cum hoc compati valet quod Angelus possit plura futura libera conjecturaliter cognoscere ex habitudine, consuetudine, inclinatione, circumstantiis, & occasionibus sub-

jecti,

jecti, sicuti & potest homo ea etiam conjecturaliter cognoscere; attamen talis cognitio conjecturalis semper est fallibilis: quia futurum liberum semper subjacet libero voluntatis arbitrio.

ART. XIX. *An Angeli cognoscant cogitationes cordium?*

122 **H**Oc est, actus inter nos intellectus, & voluntatis, qui nullo externo signo manifestantur. Nam ex signis externis eos etiam cognoscunt homines, quanto magis Angeli, & dæmones?

123 Conveniunt Theologi Angelos non cognoscere secreta cordium, seu actus intellectus & voluntatis creaturæ intellectualis. *I.* Quia lib. 3. Regum cap. 8. dicitur de Deo: *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum*: si solus: ergo non ullus Angelorum, aut hominum. *II.* Quia in Scriptura sæpe sapius tribuitur Deo tanquam quid proprium, nosse corda hominum, ut constat ex Psalm. 7. ex 1. Reg. cap. 16. Jeremix cap. 17. Actorum 1. ad Rom. cap. 8. & alibi; quod autem est proprium Dei, creaturæ convenire non potest. *III.* Quia si Angeli invicem cognoscerent suos actus internos, non esset necessaria inter eos locutio; at hoc est falsum: ergo non cognoscunt invicem suos actus. *Maj. prob.* quia locutio est ad manifestandos actus intellectus, & voluntatis: ergo si inter Angelos sunt sibi in vicem manifesti actus intellectus & voluntatis; non erit necessaria inter eos locutio.

124 Cum autem actus intellectus, & voluntatis creaturæ intellectualis sint entitates naturales; non facile apparet, qua ratione non possint cognosci à perspicacia intellectus Angelici. Quidam ergo docent, quod actus intellectus & voluntatis potest Angelus suapte natura cognoscere; sed eos non cognoscere, quia Deus ratione suæ providentiæ subtrahit eis suum concursus ad prædictam cognitionem: at in hoc modo dicendi necessarium est dicere, quod Angelus per miraculum non cognoscit actu intellectionem, & volitionem alterius, ad modum quo ignis Babylonicus per miracu-

lum non combussit Domini servos : quod non videtur asserendum ; quia est adstruere unum continuum miraculum.

125 Alii autem actus intellectus & voluntatis esse incognoscibiles Angelis ex eo docent , quod eorum habent perfectum dominium , qui eos eliciunt : unde sicut in eorum est potestate eos elicere ; ita ejus est potestatis eos occulere , id est , non manifestare. At ab his Theologis quaritur , an libertas actus constituat illum incognoscibilem , vel non constituat incognoscibilem. Si non constituit illum incognoscibilem , libertas illius non suffragatur illius incognoscibilitati. Si illum constituit incognoscibilem , hujus reddenda est ratio : quippe hoc non videtur ex terminis per se notum. Quapropter quidam docent , actus liberos solum pertinere ad operantem , proindeque cum ad alios Angelos non pertineant ; non deberi eorum species : cumque eorum species habere non possint , non possunt prædictos actus liberos cognoscere , eaque ratione efferunt esse extra sphaeram intellectus Angelici.

126 In re summè difficili censeo , quod Angelus non potest cognoscere actus liberos creaturæ intellectualis ; quia per se & immediatè non potest intimè penetrare illam : unde non potest conspiciere quid sit in illa. Hoc enim , quod est intimè penetrare creaturam , & esse intrinsecè in illa omni modo , solum est proprium Dei ; nullus enim Angelus est hoc modo in alio : & ideo nullus potest actus liberos alterius cognoscere ; quia sunt in intimo sui esse , ad quod non potest pertinere creatura. Hac si non placeant , meliora efferantur.

ART. XX. *An Angelus valeat certo cognoscere mysteria gratiæ?*

127 **S**UB hoc titulo comprehenduntur omnia mysteria supernaturalia , & loquimur de illo præcisè attendenta naturali facultate illius intellectus : nam per Divinam revelationem certum est Angelos plura cognovisse , ut postea dicemus.

128 De Sacro Trinitatis Mysterio conveniunt Theologi,

à nulla creatura posse naturaliter certò cognosci; ac proinde neque ab Angelo de quo late pertractant agentes de hoc altissimo mysterio. *Ratio autem est*: quia creatura nullum respectum dicit ad Deum ut trinum, cum solum dependeat à Deo ut uno, & prima causa omnium rerum, infinitè sapienti, & omnipotenti: ergo non potest certo cognoscere Deum ut trinum. Cum enim non possit Deum prout in se est immediate cognoscere, necesse est illum cognoscere ratione alicujus respectus: unde cum in nulla creatura possit esse respectus ad Deum ut trinum, nulla potest ut trinum illum certò cognoscere. *Uterius*. Quia Mysterio Sanctæ Trinitatis primo prospectui obstat videtur commune effatum: *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*: ergo Angelus non potest naturaliter cognoscere, quod aliqua sint idem in tertio & non sint idem inter se.

129 *Ex his sequitur*, quod nec Angelus potest cognoscere mysterium Incarnationis prout factum est: quippe cum hoc consistat in unionem hypostatica Personæ Divinæ ad naturam creatam; si non potest cognoscere Personas Divinas, non potest cognoscere unionem illarum ad naturam creatam. An autem Angelus possit cognoscere possibilem esse veram & realem unionem Dei ad naturam creatam, late discutitur Tract. de Incarnatione, aliaque collimantia.

130 Quantum ad mysteria gratiæ, sub cujus nomine comprehendimus ordinationem creaturæ intellectualis ad finem supernaturalem beatitudinis, dispositiones, & media gratiæ, virtutum, & auxiliorum; certum omnino est, quod nulla creatura ex se potest hæc cognoscere certo: quia hæc omnia dependent à voluntaria dispositione Dei; sed nulla creatura valet cognoscere actus liberos Dei: *Quis cognovit sensum domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* ad Rom. cap. 11. ergo nulla creatura valet ex se cognoscere mysteria gratiæ.

131 *Uterius etiam est certum*, quod nulla creatura valet certò cognoscere media supernaturalia, quibus creatura intellectualis ordinata est ad finem supernaturalis beatitudinis, uti sunt gratia sanctificans, virtutes infusæ supernaturales, dona gratiæ actualis, gratiæ gratis datæ, & omnia alia,

alia, quæ sub his comprehenduntur. *Ratio autem est*, quia hæc omnia sunt entia supernaturalia; ac entia supernaturalia per vires naturæ creaturæ intellectuales cognosci certò non possunt: ergo nullus Angelus cognoscere valet media, quibus creatura intellectualis ordinata est ad finem supernaturalis beatitudinis.

ART. XXI. *An Angelus possit cognoscere componendo & discurrendo?*

132 **Q**UI docent Angelos cognoscere res per species inditas à suæ creationis principio, docent itidem non posse cognoscere componendo, aut discurrendo; quia unico intuitu, seu uno prospectu cognoscunt rem & omnia ejus prædicata; attamen est hoc teneat de prædicatis quidditativis, de prædicatis accidentalibus tenere non potest; quia hæc sunt realiter distincta ab essentia & substantia rei: unde species representans substantiam, & essentiam rei, non potest representare, quod est ab ea realiter distinctum, & separabile.

133 *Dicendum est ergo*, quod Angeli cognoscunt componendo prædicata accidentalia subjecti. Nam species representans subjectum per se non representat illud prædicatum convenire, seu habere unionem cum subjecto, ut per se patet: ergo prædicta prædicata in subjecto non potest cognoscere, nisi per cognitionem, qua cognoscit convenire subjecto; quod est cognoscere componendo.

134 Quantum ad discursum *dicendum*, Angelos in ordine ad effectus necessarios causæ naturalis discurrere non posse: & *ratio est*; quia stando in ordine providentiæ naturalis Angelus cognoscens quidditative causam naturalem, non potest non cognoscere respectum necessarium ad effectum, & effectum ipsam: ergo respectu effectus naturalis discurrere non potest. *Conseq. est certa*: quia discursus solum potest esse de noto ad ignotum: ergo si Angelus in cognitione causæ necessariæ cognoscit effectum, non potest ex illa discurrere erga effectum, quem in illa cognoscit.

135 In ordine autem ad effectus liberos, *conferemus* Angelos discurrere posse, cum communiori Theologorum sententia. Certum namque est Angelos ex se non cognoscere mysteria gratiæ, nec cogitationes cordium, nec futura libera, uti diximus. *Ratio autem est*: nam qui potest dubitare de aliqua re, potest erga illam discurrere, ut per se patet; sed Angelus potest dubitare de aliquibus ex dictis: ergo de his discurrere potest. *Min. prob. I.* quia Daemon dubitavit, an Christus esset verè & propriè Filius Dei: hac enim ratione ipsam tentavit in deserto, ut referunt Evangelistæ. *II.* quia Angeli, & Dæmones ex his, quæ exterius in hominibus apparent, possunt conjectari de internis animi motibus, ut ira, timore, &c. sicuti nos conjectamur. *III.* quia Daemon semper exerit vires ingenii respectu nostræ imbecillitatis, inclinitationis, consuetudinis, occasionis, & desidiæ, ut nos in peccatum inducat: ergo discurret in futuritionem peccati. Uti etiam Sancti Angeli Custodes semper vigiles cogitant, quibus mediis liberent nos à culpæ seditate; hæc enim omnia conjectando efficiunt. Nam ad actus liberos non aliam habent vim movendi, nisi purè moralem per ea media, quæ judicant posse voluntatem allicere ad id quod intendunt: Angeli Sancti ad amorem Dei; Diaboli autem ad peccatum: unde efficitur ut erga hæc possint discurrere & conjectare, sicuti nos.

136 Ex hucusque dictis efficitur, quod Angelus semper, & pro semper se acta cognoscit, ita ut à sui cognitione cessare non possit; quia semper, & pro semper est sibi intime præsens. Efficitur etiam, quod semper, & pro semper Deum cognoscit, ita ut ab ejus cognitione cessare non possit; quia semper, & pro semper est illi præsens relatio transcendentis ad Deum, ut pote identificata ejus essentiæ: ergo si Angelus se necessario cognoscit, ita ut non possit cessare à sui cognitione; eodem modo Deum cognoscit necessario, ita ut ab ejus cognitione cessare non possit.

137 Erga alia objecta; an Angeli habeant libertatem exercendi cognitionem, & cessandi ab ea, non est satis discussum, & aliquibus scatet difficultatibus. Nam qui docent Angelos cognoscere alia objecta per species inditas à prin-

cipio à Deo : cum illas species habeant intrinsece præsentes, & inexistentes in se ipsis ; videtur non posse non cognoscere objecta, quæ per tales species representantur, ad modum quo, cum quis videt in speculo imaginem alicujus rei, non potest cessare à cognitione talis rei : unde si tales species sunt Angelis necessariò præsentes, earum objecta necessariò cognoscere fatendum est, sicuti se, & Deum cognoscunt necessariò eadem ratione. *Nec refert dicere* : quod præfata species subsunt libertati Angeli, quoad usum : nam in primis non subsunt libertati Angeli quoad existentiam, quia sunt inditæ à Deo independenter ab Angeli libertate : deinde non subsunt libertati Angeli quantum ad representationem : cum naturaliter, & necessariò representent sua objecta : ergo nullo modo præfata species subsunt libertati Angeli quoad usum ; sed semper debet esse in actuali cognitione earum.

138 Hac ego perpendens, non erubesco fateri physicam naturam Angelorum, & eorum modum operandi longissime esse à nostris discursibus, & conjectationibus ; potiusque valere fateri ignorantiam in his, & aliis hujusmodi rebus, ut si possunt intelligere plura, ut plura ; quam de nobis præsumere sublimes illas intelligentias transcendere, Quod semper præ oculis Theologis habendum, ne inflati effluant : quod amplius constabit ex sequenti questione.

ART. XXII. *Qualiter Angeli loquantur?*

139 CUM certum sit Angelos actus internos intellectus & voluntatis non cognoscere ; & Sancta Scripturâ plenissime constet inter se loqui, ut pater Isaia cap. 6. *Seraphim clamabant alter ad alterum.* Apocalyp. 7. *Angelus clamavit quatuor Angelis.* Et Apost. 1. ad Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum* : perindeque manifestare suos conceptus ; nam hoc est formaliter loqui. Quo modo id fiat ab Angelis, molestè disquiritur à Theologis.

140 Pro quo supponendum est Angelos posse linguis hominum loqui, vel cum hominibus, vel inter se, quippe eas appri-

apprimè norunt : atque adeò difficultas est de lingua, seu modo quo inter se colloquuntur, tanquam creatura Spirituales, & præcisè secundum suam naturam : loquique posse manifestando proprios conceptus, vel de rebus, vel qua proprios : possèque loqui ad unum, & non ad alium ; loqui distantibus, & non proximis : loqui veraciter, & posse mentiri : quæ communiora sunt apud Theologos, quanquam aliqui aliquas ex præfatis conditionibus respuant ; quia nullatenus congruunt eorum sententia de locutione Angelorum. Nos breviter eorum sententias recensebimus, de eisquè iudicium nostrum subnectemus.

141 I. Sententia docuit Angelos loqui per signa corporalia habentia vim significandi conceptus naturaliter, vel ad placitum. Sed hæc sententia jam explosa est à Scholis. I. quia potuit Deus condere Rempublicam Angelorum non creata ulla creatura corporali : Imò plures PP. Græci tenuere, Deum Angelos creasse ante mundum corporeum : quo casu Angeli possent colloqui inter se, & non signis corporalibus : ergo locutio per signa corporalia non est Angelis tribuenda. II. quia locutio per signa corporalia non potest dare locum secreto ; nam semel efformatis, ea quilibet Angelus nosceret : ergo per ea non posset esse locus, ut unus nosceret conceptum, & alter non nosceret, consequenterque locus non esset secreto.

142 II. Sententia quæ tribuitur Scoto, & ejus discipulis, docet Angelos loqui per immisionem, seu impressionem proprii conceptus in intellectu alterius Angeli, quo Angelus A manifestat suum conceptum Angelo B. & hic cognoscit illum prout ab A. Hæc autem sententiâ gravibus scætet difficultatibus. I. quia actus, quo Angelus A constituitur cognoscens, est actus immanens qui non recipitur in alieno subjecto : ergo conceptus Angeli A per suam entitatem, non recipitur in Angelo B, & consequenter Angelus B non potest illum cognoscere, ut manifestatum ab Angelo A. II. Quia actus internus intellectûs, vel voluntatis per se occultus, est actus, quo Angelus vivit in actu secundo : ergo communicatus alteri Angelo erit in eo non per elicentiam, sed per communicationem : eritque idem actus.

actus subjective in duobus Angelis, & consequenter si Angelus loqui vult pluribus Angelis; idemmet actus necesse est quod existat in omnibus illis, quod est captu difficile.

143 *Uterius.* Quia communis est Theologorum sententia, quod nulla creatura potest intelligere, vel velle per intellectionem, vel volitionem à se non elicitam: ergo cognitio, vel volitio interna Angeli A non posset constituere Angelum B cognoscentem, aut volentem: ergo communicato actui interno Angeli A. Angelo B. iste actus à se elicitus, cognosceret actum internum propter immediatam communicationem: sicuti quilibet Angelus cognoscit omnia ea, ad quæ immediate se habet; atque adeò difficultas hujusmodi dicendi stat in communicatione ejusdem actus interni facta intellectui alterius Angeli. Et ex hac actus interni communicatione sequeretur, non posse esse mendacium in Angelis, ut postea discutimus.

144 III. Sententia communis in Schola Thomistarum docet locationem Angelorum inter se fieri per hoc, quod unus Angelus ordinet actum suum internum, sive intellectus, sive voluntatis ad alterum Angelum; nam ex hac ordinatione actus ille pertinet ad illum Angelum, & tunc species jam præhabita, & indita, incipit illi representare actum illum occultum, sicque fit locutio Angelorum; cum locutio non sit aliud formaliter, quam manifestatio facta alteri actus occulti.

145 In hac Sententia sunt etiam plura valde difficilia. I. Nam per ordinationem actus interni Angeli A ad Angelum B, nihil intrinsecum ponitur in Angelo B: ergo si Angelus B ante ordinationem non cognoscebat actum internum Angeli A; nec post ordinationem illum cognosceret, quia nihil potest transire de contradictorio in contradictorium intrinsece manens idem, & sine aliqua mutatione. Dices quod Angelus A ordinans actum suum internum ad B, nihil intrinsecum ponit in illo de novo; sed solum ponit quid extrinsecum de novo respectu Angeli B, quo posito species Angeli B necessario representat ipsi actum internum Angeli A: quo sita est tota Thomistarum Doctrina.

146 *Sed contra est:* Nam species Angeli B ante ordina-

tionem non repræsentabat ipsi actum internum Angeli A, ut concedunt contrarii : ergo nec repræsentabit actum internum post ordinationem. *Prob. Conseq.* Quia ordinatio illa vel auget, vel non auget speciei vim repræsentandi actum illum in particulari. Si non auget, sicut antea non repræsentabat : ita post non repræsentavit. Dicere autem, quod addit speciei vim repræsentandi actum illum, est deserere sententiam de locutione per extrinsecam ordinationem actus interni : cum ponatur in specie Angeli nova vis repræsentandi actum internum.

147 *Uterius.* Quia species impressa indita Angelo B, repræsentans actum internum intellectus in universalis, aut actum internum voluntatis in universalis, & non repræsentans in actu actus internos aliorum Angelorum, antequam ad ipsum B ordinentur ; est necessarium, quod sit infinita repræsentativè syncategorematicè actum intellectus, aut voluntatis cæterorum Angelorum ; isti enim sunt infiniti syncategorematicè, & sunt ordinabiles ad Angelum B : ergo species illorum in Angelo B, haberet virtutem infinitam syncategorematicè repræsentandi actus internos aliorum Angelorum.

148 *Deinde.* Quia si Angelus loqueretur alteri Angelo per ordinationem conceptûs ad illum, Angelus A non posset mentiri Angelo B ; sed hoc non est dicendum : ergo nec dici potest Angelum alteri Angelo loqui per ordinationem conceptûs. *Prob. Maj.* Quia Angelus A loquens Angelo B, ordinat ad illum verum conceptum de re, vel falsum conceptum de re. Si ordinat verum conceptum, non potest mentiri : ergo ut possit mentiri, est necessarium, quod formet falsum conceptum de re ; sed Angelus de his, quæ evidentè cognoscit, non potest formare iudicium falsum, ut est omnino certum : ergo de his, quæ evidentè cognoscit, non potest mentiri. In his autem, quæ solum probabiliter cognoscere potest, non potest facere iudicium certum objectivè : ergo ordinans illud iudicium ad alterum Angelum, non poterit illi mentiri juxta hunc modum loquendi assertum à Thomistis.

149 His de causis plarique docent, Angelos propria inter se lingua loquentes, non posse sese invicem fallere, &
Vol. I. Pars II.

mentiri ; id tamen posse loquendo hominum linguis ; ceterum communius Theologi , cum Sacra Scriptura Dæmonem vocet auctorem mendacii , inter se mentiri posse communius autumant.

150 Nostra Sententia est Suarez , & aliorum , qui docent unum Angelum alteri loqui per productionem , & impressionem speciei actus interni intellectus , vel voluntatis in alio Angelo , qua specie Angelus excitatur , & cognoscit actum internum alterius Angeli.

151 Hic modus dicendi satis probabilis apparet : nam in eo Angelus potest loqui ad unum , duos , aut tres Angelos , & non ad alios : & sic potest inter eos servari secretum , ita ut unus cognoscat actum internum intellectus , aut voluntatis , & alius illum non cognoscat. *Sed dices* , species actus interni Angeli A ad Angelum B distantem , necesse est cum sit operatio exterior , quod transeat per medium : ergo poterit cognosci à quolibet Angelo , quia est quid naturale , & sic non poterit servari secretum. *Huic objectioni respondetur* , quod sicut actus internus , esto sit quid naturale , solum cognoscitur ab eo , à quo elicitur ; ita species representantes actus internos , solum cognoscuntur ab eis , à quibus producuntur , & ab eis , à quibus recipiuntur : unde transitus per medium nullo modo efficere potest , ut prædictæ species ab aliis Angelis cognoscantur.

152 *Sed quæres* , ad quantam distantiam possit unus Angelus sic alteri loqui. *Responderi potest* ad maximam distantiam sic posse loqui , dum modo illi Angeli sint inter eam distantiam , qua se cognoscere possint , juxta dicta supra. Nam moles corporum , quæ constituunt hoc universum , non sunt impedimento productionibus purè spiritualibus.

153 In isto modo dicendi facile est asserere unum Angelum alteri Angelo posse mentiri ; quia Angelus A poterit Angelo B imprimere speciem actus interni , quem non habet , & sic mentiri , seu esse mendacem. Verum in hoc modo dicendi apparet ingens difficultas , quia Angelus B nunquam poterit esse certus de veritate locutionis Angeli A ; & ratio est , quia Angelus B non potest esse certus , sit sibi immissa vera species actus interni , an ficta , & fallax ; quia id non habet , unde

unde certò cognoscat. Hac de causa putare quis poterit jure, & merito, Angelos non cognoscere certò, & evidenter actus internos aliorum Angelorum, quia illos non cognoscunt in semetipsis, sicuti Deus: perindeque solum eos agnoscere per fidem, ac ea de causa fallere, & falli posse.

154 Ultima sententia tenet Angelos inter se loqui per signa spiritualia conceptuum, non ex beneplacito eorum, sed ex institutione Dei, ad modum quo ante confusionem linguarum indidit Deus Adamo, & Evæ linguam, qua inter se colloquerentur. Etenim quod possint esse signa spiritualia rerum, patet in caractere Baptismi, Confirmationis, & Ordinis: unde non videtur posse negari, posse esse signa spiritualia actuum intellectus, & voluntatis ipsorum Angelorum, medijs quibus inter se loquantur; & hic modus loquendi est magis proportionatus naturæ ipsorum. Hæc vero signa solum in individuo sunt cognita respectu elicientis, & recipientis: unde Angelus potest loqui solum Angelis, quibus vult, & ex se tenere secretum. In hoc modo dicendi potest Angelus mentiri; quia potest Angelus formare signa conceptus, aut actus, quem non habet. At hoc modo loquendi non potest esse Angelus certus certitudine evidentie de actu interno alterius, quia illum non cognoscit in se ipso sicuti Deus: sed media colloquutione, quæ subjecta est falsitati.

155 Ad quantam autem distantiam possit unus Angelus alteri loqui, & alia hujusmodi, non est nostrum scire: quippe de his principia non habemus, & modus operandi horum spirituum est longissimè à tenui nostra cognitione. *Notandum* tamen pro coronide, quod meo judicio animæ separatae, & Angeli eodem Angelico idiomate colloquuntur & etiam inter se. De illuminatione Angelorum non nulla suo loco dicemus.

ART. XXIII. De Voluntate Angelorum.

156 **D**iscursu modo cognoscendi Angelorum, tractatus ordo nos deferat ad tractandum de eorum voluntate secundum se, & juxta propriam naturam

considerata; ad quod majora & certiora subsidia ex sacris litteris habemus.

157 Est igitur *Voluntas* communi sapientium conceptio-
ni, *intellectualis appetitus, inclinatio, & propensio in bonum
sibi conveniens*. Ex quo certum est I. Angelos, sicuti pollere
intellectu, sic præditos esse voluntate. *Tum* quia omne
agens intellectuale voluntate pollet, quod adeò certum re-
putant quidam, ut censeant repugnare naturam intellecti-
vam non volitivam; sed Angeli sunt agentes intellectu: ergo
pollent voluntate. *Tum* quia Angelus est perfectior homine;
sed homo pollet voluntate: ergo & Angelus. *Tum* quia qui
potest peccare, voluntatem habet, cum nemo peccet, nisi
volens; sed Angeli possunt peccare, imò de facto peccarunt:
ergo habent voluntatem.

158 *Certum est II.* Angelos pollere libero arbitrio. Li-
berum enim arbitrium nihil aliud est, nisi voluntas creata,
non determinata, sed ex se, & natura sua indifferens ad
amandum, aut non amandum objectum, ad illud amore pro-
sequendum, aut odio habendum, uti in nobis experimur.
Tum quia in Angelis fuit peccatum; sed peccatum committi
non potest sine libero arbitrio: ergo in illis est liberum arbi-
trium. *Tum à contrario*, quia in Angelis fuit verum meritum
gloriæ; sed meritum non stat sine arbitrio, & libertate: er-
go. *Tum* quia Angelus perfectior est homine, perindeque si
homo pollet libero arbitrio, non potest eo carere Angelus.
An autem voluntas Angeli sit potentia realis ab ejus essentia,
& substantia distincta, quæstio est philosophica; Nos in di-
stinctam censemus ab ejus substantia.

159 Quæri hic solet I. an Angelus se necessariò amet?
Quæ quæstio etiam communis est homini, & tractatur à Theo-
logis agentibus de actibus humanis. Duplex distinguitur à
Theologis necessitas in voluntate: una quoad specificatio-
nem, & altera quoad exercitium: necessitas quoad specifica-
tionem est intrinseca determinatio voluntatis, ut si tendat ad
objectum, tendat necessariò per actum amoris, ita ut non
possit tendere per actum odii; potens est tamen voluntas
suspendere exercitium amoris. Ex quo fit, quod necessitas
quoad exercitium in voluntate nihil aliud est, quam intrinse-

ca determinatio ad tale exercitium, ita ut ab illo cessari non possit, & sit ei impossibilis ejus carentia: quapropter potestas ad actus contrarios dicitur *libertas contrarietatis*: & potestas ad actum, & ad ejus omissionem, seu carentiam illius, *potestas contradictionis*.

160 *Notandum etiam*, quod cum voluntas sit appetitus agentis intellectualis in bonum proprium, hoc nihil aliud est, quam ipsum esse agentis intellectualis cum omnibus perfectionibus, quas ejus natura exigit, cum quo quodlibet ens est positive perfectum, & perfectio dicitur *prædicatum transcendente entis*.

161 *Dicendum I.* quod Angelus amat se necessario quoad specificationem: ita communiter Theologi. *Et prob.* quia voluntas ex natura sua est appetitus in bonum proprium agentis intellectualis; sed bonum agentis intellectualis est ipsum esse modo dicto: ergo voluntas non potest tendere in illum, nisi per modum appetitus, consequenterque Angelus est necessitatus quoad specificationem ad sui amorem. *Conf. I.* Quia id quod omnibus evenit, & eodem modo est illis naturale, & necessarium; sed se amare, & velle bonum proprium convenit omnibus agentibus intellectualibus eodem modo: ergo se amare, & velle proprium bonum est illis naturale, & necessarium. *Conf. II.* Quia naturaliter nemo est, qui non velit esse beatus; sed beatitudo in communi concepta nihil aliud est, quam proprium bonum: ergo naturaliter nemo est, qui non velit proprium bonum, quod expressissime videtur Apostolus ad Ephes. cap. 5. Illis verbis: *Nemo enim carnem suam odio habuit*. Ex quo apparet, quod Angelus ad sui amorem est necessitatus quoad specificationem, eodem modo quo voluntas est necessitata quoad specificationem ad bonum in communi; quia bonum non potest terminare, nisi amorem.

162 An autem Angelus, sit necessitatus ad sui amorem quoad exercitium, non est una Theologis sententia. Etenim quod homines non sint determinati ad sui amorem quoad exercitium, licet sint determinati ad sui amorem quoad specificationem, ex ipsa experientia constat; nam plerumque ad alia divagamur & cum cognitio nostra pro hoc statu à
phan-

phantasmatibus dependeat ; diuturna cogitatio laborem , & tædium ingerit : quibus de causis potest homo suspendere exercitium amoris sui , & ideo in sui amore habet libertatem quoad exercitium.

163 At verò Angelus cum semper , & pro semper se cognoscat , & nullis impedimentis , & molestiis , quæ homini insunt , præpediatur ; quibusdam videtur , quod sit necessitatus ad sui amorem quoad exercitium. Attamen alii , etsi noscant prædictis impedimentis non præpediri Angelum ab exercitio sui amoris , cum considerent bonitatem Angeli esse finitam & limitatam ; docent non posse necessitare objective voluntatem Angeli ad sui amorem quoad exercitium : quia id solum est proprium boni infiniti visi clarè in se ipso. Quæ quaestio tanti non est , ut in ea majus studium impendamus.

164 Est tamen contra primam partem argumentum satis difficile. Nam qui se necessario amat quoad specificationem , necessario amat sui esse , nec potest se odio habere ; sed Dæmones non amant necessario sui esse , sed odio se habent : ergo non se amant necessario quoad specificationem. *Maj. cum consequentia tenet ; Min. verò prob.* Quia Dæmones voluntate efficaci affectivè respectu suæ infelicissimæ miseriæ , volunt non esse , & hoc est odium formale : nam velle non esse alterius , formale odium est ; consequenterque velle non esse sui : ergo Dæmones non amant necessario sui esse , & odio se habent : *Prob. ant.* Nam Dæmones & damnati voluntate efficaci affectivè volunt , quod est ipsis magis conveniens ; sed ipsis est magis conveniens non esse , quam esse sub tali miseria , juxta illud Christi Domini de Juda Iscariote Matth. cap. 26. *Melius erat ei , si natus non fuisset homo ille :* ergo Dæmones voluntate efficaci affectivè volunt non esse , & se odio habent.

165 *Dices*, quod Dæmones ex sui amore , seu ex eo quod se amant , appetunt sui non esse : quia judicant melius esse ipsis non esse , quam esse sub tali miseria. *Sed contra :* nam Dæmones non appetunt non esse pro eo instanti quo appetunt non esse : quia implicat non esse pro instanti quo operantur : ergo solum appetunt non esse pro instanti sequenti.

ti. Sed in instanti in quo non essent, illud non esse non esset ex sui amore: quippe pro statu non essendi sunt incapaces se amandi: ergo Dæmones non possunt appetere sui non esse ex sui amore.

166 *Resp.* quod Dæmones & damnati nec appetunt, nec appetere possunt non esse pro instanti operationis: quia id implicat; sed solum pro instanti sequenti; non esse autem pro instanti sequenti iudicant Dæmones potius sibi esse, quam esse. Nam non esse est malum negativum purè; esse autem sub tanta miseria tormentorum est maximum malorum positive: & cum malum positivum in ratione mali sit potius, quam malum negativum, & aversio mali sit ex amore boni; inde est quod Dæmones ex amore sui pro statu & instanti præsentis velint non esse pro instanti sequenti. De quo fortasse redibit sermo.

167 *Ex dictis sequitur*, quod Angelus sit necessitatus quoad specificationem ad amorem Dei qua Auctoris naturæ. Nam qui est necessitatus ad amorem sui esse, est necessitatus ad amorem eorum, quæ sunt necessaria ad sui esse; sed ad esse Angeli in fieri, & conservari est necessarius Deus, à quo unice dependet: ergo Angelus necessitatus quoad specificationem ad amorem sui, eodem modo est necessitatus ad amorem Dei. Ex quo rectè etiam deducitur, quod Angelus nullam necessitatem habet ad amandum omne id, quod non connectitur essentialiter cum illo; ac proinde erga omnia illa plena libertate gaudere. An autem Angelus naturali dilectione diligat Deum plus quam seipsum, est quæstio communis omni creaturæ intellectuali.

ART. XXIV. *An Angelus in statu puræ naturæ possit peccare?*

168 **H**ÆC quæstio sub aliis terminis proponitur à Thomistis: an scilicet Angelus peccare possit in Deum finem naturalem? Sub quibus verbis quia potest esse obscuritas, & fortasse æquivocatio, Nos maiore claritate proponimus. Pro quo supponendum I. quod Deus si-

cui

cut potuit creare hominem in statu purè naturali sine ulla elevatione, aut relatione ad finem supernaturalem æternæ felicitatis; ita potuit creare Angelos in statu purè naturali ipsorum, sine ulla elevatione, aut respectu ad finem supernaturalem beatitudinis, quo statu solum haberent quantum ad esse & potentias operativas, ea quæ exposceret eorum naturalis exigentia.

169 *Supponendum II.* quod in Angelos sic creatos haberet Deus non solum dominium physicum, sed etiam dominium morale imperii, seu legis: ac proinde subjecti essent legi naturali amandi Deum qua ipsorum creatiorem ipsi obediendi, ipsum adorandi, & colendi, non falsò jurandi, non metiendi, non concupiscendi alteri malum, aut ipsum inferendi; aliaque his consona. Hanc legem fore verè, & propriè legem, ejusque transgressionem liberam verè & propriè esse peccatum: cum hoc verè, & propriè nihil aliud sit, quam legis transgressio. Hæc meo judicio inconcussa debent esse omnibus Theologis recta sapientibus.

170 *Dicendum ergo*, quod Angeli in statu puræ naturæ possent peccare contra legem naturalem: quæ sententia est contra quosdam Thomistarum asserentium Angelos esse inpeccabiles contra Deum Auctorem, & finem naturalem. *Et prob. I.* quia ex ea sequitur quod sit possibilis creatura intellectualis libera, quæ naturaliter sit impeccabilis; sed hoc asseri nequit, ut postea dicemus: ergo Angelus conditus in pura natura potest peccare. *Prob. Maj.* Nam juxta adversarios Angelus in pura natura non posset deficere à lege Dei naturali; sed quia ex natura sua non potest deficere à lege, ex natura sua est impeccabilis: ergo Angelus sic conditus esset natura sua impeccabilis.

171 *Confirm.* Quia Angelus in puris naturalibus conditus, non posset elicere actum indifferentem in individuo; nam sententiâ Thomistarum non potest dari, nec posset elicere actum malum, quippe sic posset peccare: ergo necessario, & naturaliter eliceret actum bonum. Sed qui est naturaliter necessitatus ad eliciendum actum bonum, est naturaliter impeccabilis: ergo talis Angelus naturaliter impeccabilis est.

Prob.

172 *Prob. II.* quia Angelus in statu puræ naturæ est subiectus legi Divinæ estque capax præcepti: ergo in statu puræ naturæ potest peccare. *Ant. est omnino certum; consequ. autem prob.* Nam qui est capax legis, & præcepti, est capax faciendi contrarium legi, & præcepto per commissionem, aut omissionem; sed qui est capax faciendi contrarium legi, aut præcepto, est capax peccandi; cum peccatum nihil aliud sit quam quid voluntarium contrarium legi, & præcepto: ergo hoc ipso quod Angelus in statu puræ naturæ sit capax legis & præcepti, est capax peccandi. *Min. cum consequentia tenet.* & *Maj. est omnino certa.* Tum quia lex, & præceptum non datur, nec potest dari de actibus necessariis, ut docent Theologi tract. de Legibus; atque adeò homini non potest dari præceptum de non crescendo, & aliis hujusmodi: perindeque solum potest dari de actibus liberis, qui ratione libertatis possunt non fieri. Tum quia Lex, & præceptum nihil aliud est, quam voluntas superioris intimata inferiori, ut eam exequatur sub comminatione pœnæ, si eam executioni non mandet: pœna autem comminari non potest, nisi agenti libero; unde Lex & præceptum imponi nequit, nisi libere operanti, & consequenter potenti non exequi præceptum. Quo juvat per legere, quæ scripsimus agentes de sanctitate Dei, ubi probavimus repugnare creaturam aliquali libertate præditam, quæ impeccabilis sit.

173 *Sed contra dicas I.* Angelus ex se & ex natura propria est necessitatus, saltem quoad specificationem ad amandum Deum; sed qui est necessitatus ad amandum Deum non potest peccare, cum peccatum sit contra amorem Dei: ergo Angelus ex se, & ex natura sua non potest peccare. *Resp.* quod Angelus solum est necessitatus ad amandum Deum amore concupiscentiæ, & quatenus causam sui esse, & sui conservationis; non autem est necessitatus ad amandum Deum ex perfecta benevolentia, & perfecta prædilectione: & ideo ex se & ex natura sua peccare potest; nam peccato non opponitur amor Dei concupiscentiæ, ut patet in hominibus, qui per spem amant Deum amore concupiscentiæ, & peccata committunt; sed solum ei opponitur amor Dei perfectæ benevolentia, & prædilectionis ad quem

non est necessitatus Angelus, nec quoad specificationem,
nec quoad exercitium. Ex quo facile est respondere in
forma.

174 *Dices II.* Ad peccandum est necessarius error in intellectu; sed in Angelis ex se & sua natura non potest esse error in intellectu, quia omnia naturalia cognoscunt evidenter: ergo in Angelis ex se & ex propria natura peccatum esse non potest. *Resp.* ad hanc objectionem *negata Majori*, de quo Theologus tract. de peccatis, atque quaesito sequenti debita extensione.

175 *Dices III.* Christus Dominus, atque Beati fuere capaces præcepti, fuereque, ac sunt incapaces peccandi: ergo ex eo, quod Angeli ex se & ex natura sua sint capaces præcepti, non sequitur quod sint capaces peccandi. *Resp.* quod id quod per se, & ex natura sua est capax præcepti (per se loquendo) est, capax peccandi, adeo ut oppositum repugnet; attamen quod est per se capax peccandi, potest ab extrinseco, fieri incapax peccandi; & ita contingit in humanitate Christi, & Beatis. Nam humanitas Christi est impeccabilis per unionem ad Verbum, quæ unio, non est prædicatis intrinsecis ipsius humanitatis: Beatique sunt impeccabiles per ipsam beatitudinem, quæ non est de prædicatis intrinsecis naturæ ipsorum; unde cum Angeli considerati in propria natura nihil extrinsecum eorum prædicatis habeant impossibile cum peccato ex propria natura; hoc ipso, quod sunt capaces præcepti, sunt & peccandi.

176 *Ex dictis, sequitur, quod Angelus ex se est capax*
peccandi, tam mortaliter, quam venialiter; quia potest defi-
cere a lege Divina, & præcepto tam in materia gravi, quam
in materia levi; quanquam per inadvertentiam peccare
non possint, sicuti plurimque pec-
cant homines.

ART.

ART. XXV. *An Angelus in primo instanti
sue creationis peccare possit?*

177 **A**ngelos posse peccare non solum secundum se, sed etiam ut ordinatos ad finem supernaturalem dogma certum est Theologis; quia certum est de facto peccasse: unde quaestio solum versatur de primo instanti, quo creatus Angelus est, aut potest creari; non enim repugnat, quod Deus creet hodie unum Angelum pro instanti quo sol peragit meridianum Martiti, quo casu Angelus crearetur in instanti physico temporis: ceterum quia in sui esse non dependet à natura corporea; & ante illam potuit creari, instantia ejus creationis; & durationis magis cadunt sub consideratione Theologica, quam sub physica: & ideo plures Theologi instantia Angelica confundunt cum operationibus Angelicis; verumtamen primum instans suae creationis negari non potest illud esse, in quo verum erat dicere; *nunc Angelus est*, & *immediate ante non erat*; similiterque secundum instans esse illud, in quo verum erat dicere: *nunc Angelus est*, & *immediate ante fuit*; & sic de reliquis instantibus. Unde quaestio procedit de eo instanti, in quo Angelus fuit, cum immediate ante non esset.

178 *Nec procedit quaestio de Angelis, prout de facto creatis à Deo in gratia, & sanctitate; quia prout sic peccare non potuere; eo quod gratia, & peccatum pro eodem instanti coexistere non possunt, ut docent communiter Theologi; sed de Angelis secundum se consideratis cum omni perfectione, tam ex parte intellectus, quam ex parte libertatis, & liberi arbitrii, exacta ab eorum natura: etenim creatura, quae pro aliqua duratione non pollet libero arbitrio, pro illa duratione impeccabilis est.*

179 In hac ergo celebri hujus tractatus quaestione communis Thomistarum sententia, quam alii pauci sequuntur, tenet, Angelos in primo instanti sui esse nullatenus peccare posse; Scotista vero, Jesuita, & alii communiter contrarium docent.

180 *Dicendum* Angelos in primo instanti creationis, seu in primo instanti sui esse posse peccare: *Prob. à priori nostra sententia.* Nam Angelus in primo instanti creationis haberet omnia praequisita ad peccandum; sed qui habet omnia praequisita ad peccandum pro eo instanti quo habet, potest peccare: ergo Angelus in primo creationis instanti suae creationis posset peccare. *Min. est certa*; quia nemo potest peccare, nisi habeat omnia praequisita ad peccandum; atque adeò, qui ea habet, peccare potest. *Conseq. tenet, Maj. autem prob.* Nam praequisita ad peccandum sunt lex, & praeceptum ex parte superioris & cognitio illius, & libertas ex parte inferioris; sed Angelus in primo instanti haberet legem, & praeceptum superioris, horumque cognitionem, haberetque libertatem: ergo in primo instanti haberet omnia praequisita ad peccandum. *Maj. est certa, & itidem Min.* quia Angelus in primo instanti fuit subjectus Divinae legi, & praeceptis ejus, & insuper habuit libertatem ea exequendi; *Conseq. autem legitime infertur.*

181 *Conf. I.* Angelus in primo instanti haberet praeceptum de Deo diligendo pro illo instanti: ergo pro illo instanti potuit non diligere Deum, quia libere diligere eum dicit essentialiter potestatem omittendi dilectionem; sed potestas omittendi actum praeceptum pro instanti, quo praeceptum obligat, est potestas peccandi: ergo Angelus in primo instanti creationis posset peccare.

182 *Conf. II.* Quia Angeli in primo instanti creationis juxta communem Thomistarum sententiam per propriam, & liberam dispositionem se disposuere ad recipiendam gratiam sanctificantem; sed praecipua dispositio ad recipiendam illam est libera dilectio Dei: ergo in primo instanti habuerunt liberam dilectionem Dei; ergo potuere pro illo instanti omittere dilectionem Dei; sed omissio actus praecepti pro instanti quo praeceptum urget, est peccatum: ergo de primo ad ultimum Angelus peccare potest in primo instanti suae creationis.

183 Huic fundamento, quod his duabus propositionibus nititur: *Angelus in primo instanti potest omittere actum praeceptum*; & *omissio actus praecepti est peccatum*, mirum est,

est, quot subtilitates & præcisiones excogitarint, ut possint salvare, quod Angelus in primo instanti potuit omittere actum præceptum, quin possit committere aut infici peccato. Pro quo supponunt, quod omissio actus præcepti potest considerari & secundum se, prout est præcisè ommissio actus, seu ut aliqui loquuntur, *negativè*; vel prout est ommissio actus præcepti *reduplicativè* ut præcepti, vel *privativè*; & consequenter docent, Angelum in primo creationis habuisse potestatem ad omissionem actus præcepti secundum se: quæ ommissio ex se & per se non est peccatum; & hanc potestatem esse sufficientem ad salvandam libertatem in Angelo pro primo & in primo suæ creationis instanti; licet non potuerit ponere omissionem actus præcepti privativè acceptæ, seu actus præcepti reduplicativè accepti, seu quatenus præcepti, quod erat necessarium ut peccare posset. Quo advocant omnia, quæ congerunt ad salvandam libertatem Christi in subeunda morte ex Patris præcepto, & ejus impeccabilitatem, quæ prolixè tractantur materia de merito Christi.

184. Fateor palam, quod quando thesis est certa omnino, & ei obest aliqua difficultas, tenentur Theologi ingenia torquere ad eam eliminandam, ut contingit in actu libero Dei, & in merito mortis Christi, quæ sunt certissima; at in his, quæ hac certitudine non pollent, non placet hoc studium; sed plana incedere via. Hujus solutionis impugnatio longas præ se ferebat discussiones; Nos verò brevitati consulentes, compendio utemur. Pro quo duo statuenda sunt omnino certa: *primum*, quod præceptum de aliquo actu connotat necessariò in subiecto potestatem ad actum; quia præceptum non est de impossibilibus; sed de re possibili; & quod præceptum non constituit nec inadequate potestatem ad actum; cum se teneat intrinsece in præcipiente, eo quod est actus ejus, & sic solum se habet extrinsece ex parte subiecti, cui præceptum imponitur. Ad actum autem obedientiæ formalis concurret præsuppositivè & regulativè, ad modum quo peccatum concurret objectivè & præsuppositivè ad virtutem poenitentiae: atque adeò præceptum de aliqua re pro primo instanti & in primo instanti nullatenus est auferibile.

subjecto, cui imponitur pro illo primo instanti: quia instanti, quo est, non potest non esse: alias darentur duæ contradictoriae simul veræ; consequenterque præceptum non potest dependere ab ejus libertate.

185 *Secundum* est, quod omissio alicujus actus secundum se considerata non est peccaminosa, ut omissio actus consilii; at verò omissio cujusvis actus, stante præcepto de illo pro instanti, quo obligat, est necessariò peccaminosa: nam omissio peccaminosa nihil aliud est essentialiter, nisi carentia actus præcepti pro instanti, quo obligat: ad quod solum sufficit còexistentia cognitionis præcepti, ut obligantis pro illo instanti, ut omnes Theologi docent: nec enim est necessarium ad omissionem peccaminosam advertere ad finem præcepti, sed solum ad præceptum, ut docent etiam communiter Theologi.

186 Ex his facile evertitur solutio Adversariorum. Nam qui non potest tollere præceptum ab actu pro instanti, quo obligat, non potest facere, quod omissio actus non sit peccaminosa; sed Angelus in primo instanti creationis non potuit tollere præceptum ab actu: ergo non potuit facere, quod omissio actus non esset peccaminosa. *Maj.* ex dictis est certa, & *Min.* cum Conseq. tenet. *Urgetur.* Quia supposito præcepto de diligendo Deo pro primo instanti, omissio non est possibilis Angelo, nisi exequibilis sit pro illo instanti; sed ea omissio exequibilis non est, nec in re potest existere sine peccato: ergo nunquam est possibilis ommissio ad actus præcepti pro primo instanti Angelo sine peccato.

187 Ex præmissis, si exactè percipiantur, corrui Recentiorum solutio de præcepto terminante obedientiam materiale, ac de præcepto terminante obedientiam formalem; quippe (ut diximus) ut omissio sit peccaminosa, solum requiritur, quod stet præceptum de actu, & cognoscatur à subjecto, cui positum est præceptum. Alia plura dabimus in solutione argumentorum.

188 *Arg. I.* Quia si Angelus posset peccare in primo suæ creationis instanti; Deus esset Auctor, & causa peccati illius; sed hoc repugnat: ergo Angelus in primo instanti suæ creationis peccare non potest. *Prob. Maj.* Nam operatio, qua

in-

incipit cum esse rei, tribuitur producenti rem ipsam; quia non potest esse ab alio: ergo actio peccaminosa, quæ inciperet in primo instanti cum esse Angeli, tribueretur Deo ut Auctori speciali ipsius Angeli.

189 *Resp.* quod licet operatio necessaria, quæ incipit cum esse causæ necessariæ, tribuatur producenti causam; eo quod producens causam necessariam, producit omnia quæ ad eam necessaria consequuntur; hoc verum non est in causis liberis, in quibus ad primum sui esse non sequitur operatio ex necessaria determinatione præcedentis causæ; sed ex libera propria determinatione: & ided prima ejus operatio (physicè loquendo) non est effectivè, nisi à voluntate, & libero arbitrio: unde ostenditur Angelus peccaret in primo instanti suæ creationis illius peccati; non esset causa Deus, nec ipsi, ut Auctori tribueretur.

190 *Sed dices.* Prima operatio voluntatis liberæ debet esse circa bonum; sed operatio circa bonum non potest esse peccaminosa: ergo prima operatio voluntatis liberæ non potest esse peccaminosa. *Min. cum Conseq. tenet; Maj. prob.* Quia primus actus voluntatis necessario debet versari circa objectum voluntatis; sed objectum voluntatis est bonum: ergo primus actus voluntatis debet esse erga bonum. *Resp.* quod objectum voluntatis liberæ est bonum; prout comprehendit bonum honestum, utile, & delectabile; non præcisè bonum honestum, aliàs libera non esset. Unde in Angelo licet prima operatio, quæ esset circa bonum honestum peccaminosa esse non possit; tamen prima operatio, quæ posset esse circa bonum utile, aut delectabile, quæ opposita honesto, peccaminosa esse posset: quæ ratione Angelus peccavit in secundo instanti.

191 *Sed insunges.* In voluntate prius est conceptus naturæ, quam conceptus liberæ: ergo necessario debet præcedere actus naturæ, quam actus liberæ; sed actus naturæ prout contrapositus actui libero, non potest esse peccaminosus: ergo primus actus voluntatis Angeli non potest esse peccaminosus: quia ad hoc ut sit peccaminosus, requiritur quod sit liber. *Resp. neg. primum antecedens;* quia natura, essentia, & quidditas voluntatis creatæ est appetitus in bonum per tendens.

dentiam necessariam, aut liberam ad objectum pro ratione illius; unde voluntas considerata ut natura, non dicit prius exerceri per operationem necessariam, quam per liberam: quapropter cum possit primo exerceri per operationem liberam, potest per primam operationem peccare.

192 *Arg. II.* Quia prima operatio non tribuitur tantum elicenti, sed etiam applicanti; sed si Angelus in primo instanti possit peccare, ad eam operationem peccaminosam applicaretur à Deo, quod dici non potest: ergo Angelus non potest peccare in primo instanti. *Prob. Min.* In primo instanti non potest Angelus se applicare pro primo instanti: ergo tunc applicaretur à Deo, cum pro tunc non sit alius, à quo applicari possit. *Prob. Anteced.* Quia applicatio ad actum debet actum præcedere, ut videtur ex terminis constare: ergo Angelus ad primum actum nequit se applicare.

193 *Confirm.* Quia idem nequit esse movens, & motum; sed voluntas Angeli per primum actum est mota: ergo per primum actum non potest esse movens: ergo necessarium est, quod à Deo moveatur, cum alius non sit, qui possit voluntatem movere.

194 *Resp.* notando differentiam, quæ est inter viventia, & non viventia: & simul palam fit æquivocatio, qua laborant Adversarii. Non viventia cum non habeant principium motus intrinseci, necesse est ut ab alio moveantur; cum quidquid movetur, moveatur à se, vel ab alio: unde in his prius est actio movens, quam passiva motio, & actio movens est applicatio ad motum. In viventibus autem contrarium contingit; nam viventia (ut sæpe diximus) sunt quæ sese movent per principium intrinsecum; quapropter si Angelus per primam operationem liberam voluntatis vivit, & sese vitaliter exercet; non potest non per illam sese movere: eaque ipsa operatio est formalis applicatio, & exercitium voluntatis: quapropter applicatio ad actum in non viventibus debet actum præcedere; at verò in viventibus non est alia applicatio ad actum, quam actus ipse, per quem constituitur voluntas, aut potentia operans. Ex quo facile est respondere in forma.

195 *Ad Confirm. resp. ex dictis*, quod in non viventibus

bus idem non potest esse movens, & motum; at in viventibus potentia, quæ per actum se movet, se constituit motam. *Uterius.* Nec in sententia Adversariorum potest vim argumentum habere. Nam applicatio Dei ad primum actum non potest habere maiorem vim applicationis ad illum, quam habet prædeterminatio, cum sit formalis applicatio potentia ad actum; cum quo fiat in sententia Adversariorum, quod Deus prædeterminet, & applicet voluntatem ad materiale peccati, & non ad malitiam illius: cur ergo non posset idem contingere in applicatione Dei ad primam operationem voluntatis, esto peccaminosa esset?

196 *Mittimus*, quod Angelus in secundo instanti peccavit, & ad actum peccati ipse sese applicavit. Nam per primum actum, cum fuerit bonus, non potuit applicari ad peccatum; quapropter sicut Angelus in secundo instanti sese applicuit, determinavit, & movit ad peccatum: ita & potuit in primo instanti se ad illud applicare, & determinare; nam eadem constitutiva, quæ habuit pro secundo instanti ad posse peccare, & habuit pro primo instanti.

197 *Arg. III.* Quia ad peccandum requiritur error ex parte intellectus; sed Angelus in primo instanti non potuit habere errorem ex parte intellectus: ergo in primo instanti non potuit peccare. *Maj.* fulcitur eo axioma: *Omnis peccans est ignorans*: quo advocantur plures auctoritates tam Sacra Scripturæ, quam Sanctorum PP. & quia (ut vulgò dicitur) non potest errare voluntas, nisi fuerit defectus in intellectu. *Min. autem prob.* Quia Deus non potest esse causa erroris; & si actus primus intellectus Angelici esset error, cum esset actus necessarius, tribueretur Deo.

198 *Resp.* quod ad peccandum nihil aliud requiritur, quam cognitio legis, & præcepti, & libertas ad exequendum, vel non exequendum præceptum; & quod ad peccandum necessariò requiritur error electivus consistens in hoc, quod voluntas erret, & deviet à regula moralitatis, quæ est lex, & præceptum. Non ergo requiritur necessariò ad peccandum error in intellectu sive practicus, sive speculativus, ut regulariter censent Thomistæ. Nam eorum sententiâ ultimum iudicium regulans voluntatem ad actum, sive sit ve-



rum, five falsum, vel relinquit in illa libertatem ad actum, vel non relinquit. Si non relinquit, actus non poterit esse liber, nec peccatum: si relinquit libertatem in voluntate; poterit voluntas stante iudicio recto, & sine ullo prorsus errore ex parte intellectus, oppositum eligere, & consequenter peccare. Unde sine ullo errore ex parte intellectus potuit Angelus peccare in primo instanti. Etenim licet in nobis hominibus propter nostrum imperfectissimum modum intelligendi plarumque peccata ex errore, & ignorantia nascantur; tamen per se id non esset necessarium, ut majori extensione docebinus Tractatu de Peccatis. Ex quo facile responderi in forma.

199. *Tandem* præmissa argumenta, atque alia, quæ fieri possunt, nullius esse roboris evincit doctrina Thomistarum de Puero perveniente ad usum rationis. Docent enim prædictæ doctrinæ Auctores, quod homo in primo instanti usus rationis tenetur se convertere ad Deum formaliter, vel virtualiter; ita ut si non se convertat, peccabit. *Ex qua doctrina arguitur sic.* Sic se habet in homine primum instans usus rationis in ordine ad peccandum: cum ante usum rationis peccare non possit, ac primum instans creationis in Angelo, cum nec peccare possit ante illud; sed homo perveniens ad usum rationis, in primo instanti illius potest peccare, quin peccatum illud tribuatur Deo, ut causæ speciali, neque ad illud applicetur à Deo; & quin præcedat error ex parte intellectus: ergo similiter Angelus in primo instanti suæ creationis poterit peccare, quin peccatum tribuatur Deo, nec ad illud applicet, nec in intellectu præcedat aliquis error. Unde si Thomistæ concedunt hominem posse peccare in primo instanti usus rationis; poterit & Angelus peccare in primo suæ creationis instanti. Quæ autem ratione Christus impotens peccare liberè adimpleverit præceptum mortis subeundæ, pertinet ad Tractatum de Incarnatione.

ART. XXVI. *An voluntas Angeli sit mutabilis, & flexibilis, natura sua?*

200 **E**X hac quæstione pendet resolutio illius quæstionis, qua quæritur, quæ sit causa obstinationis Dæmonum. Loquimurque de voluntate Angeli secundum se, & ex propria natura. Notum est enim, quod nunc Sancti Angeli sunt immutabiles, & inflexibiles ad malum ex dono gratiæ, & beatitudinis, sicuti Dæmones, & damnati sunt immutabiles, & inflexibiles à malitia, ratione conditionis miserrimi status eorum. Unde quod quæritur est: an etiam ratione propriæ naturæ habeant hanc immutabilitatem, & inflexibilitatem.

201 Communis Thomistarum sententia est, quod voluntas Angeli plena deliberatione eliciens actum non potest ab illo mutari, nec illum retractare actu contrario. Oppositum tenent communiter Nostri, Scotistæ, Jesuitæ, atque ex Thomistis aliqui.

202 *Dicendum*, quod voluntas Angeli naturâ suâ est mutabilis, & flexibilis in suis actibus. *Prob. I.* ex PP. qui innuere videntur Angelos non natura sua, sed ex sua malitia mansisse in peccato: Videantur Basilii de Spiritu S. lib. 12. cap. 9. August. lib. 12. de Civit. cap. 9. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 3. Isidorus lib. 1. de Summo bono cap. 12. Damascenus lib. 4. cap. 3. & alii. Ad quod accedit, quod aliquot Theologorum sententiâ datum est Angelis peccatoribus spatium pœnitendi, & consequenter pœnitere potuere, & mutare voluntatem.

203 *Prob. II.* Quia Angeli in primo instanti suæ creationis dilexere Deum super omnia, & aliqui in secundo instanti non dilexere Deum super omnia; siquidem moraliter peccarunt: ergo voluntas primi instantis mutata est in secundo instanti. *Dices* quod iudicium primi instantis non fuit plene & perfectè deliberatum; & ideo potuit Angelus mutare vo-

luntatem in secundo instanti; at vero iudicium secundi instantis fuit omnino deliberatum, cui nihil addi potuit per iudicium tertii instantis; sicque voluntas mansit immutabilis.

204 *Sed Contra est I.* Quia iudicio primi instantis Angeli dilexere Deum, & mervere beatitudinem: ergo illud iudicium fuit plenè deliberatum. *II.* Quia iudicio primi instantis vel defuit aliquid cognoscendum, vel non defuit, si defuit aliquid cognoscendum: ergo Angeli in primo instanti non sunt creati in tota perfectione ex parte intellectus: cum ei defuerit deliberata cognitio secundi instantis; si non defuit aliquid cognoscendum: ergo iudicium primi instantis fuit omnino perfectum & deliberatum.

205 *III.* Quia in secundo instanti creationis Angeli, præcedente omni iudicio practico regulativo voluntatis ad operandum, quale requirunt Thomistæ, quin tali iudicio nihil desit, voluntas Angeli aut manet libera in electione, aut non manet libera: si non manet libera: ergo voluntas Angeli nunquam erit libera; quia semper ad electionem debet præcedere iudicium practicum regulativum voluntatis, à quo discedere non potest: & sic non erit libera, quod dici non potest. Si autem stante tali iudicio, voluntas Angeli elegit liberè unum extremum præ alio v.g. A præ B, stante eodem iudicio, potuit eligere B præ A: ergo in instanti sequenti, stante eodem iudicio, potest velle contrarium, quod voluit. *Prob. conseq.* Quia libertas actus in secundo instanti non potest esse necessitas pro tertio instanti: *tum* quia actus pro secundo instanti est liber: *tum* quia iudicium regulativum actus pro secundo instanti non tollit ejus libertatem pro eo instanti: ergo nec potest tollere libertatem pro tertio instanti; ac proinde poterit Angelus mutare voluntatem.

206 *Deinde:* quia difficillime capi potest, quod Dæmones in tertio instanti experti acerbiteriam pœnarum, certi de earum æterna duratione, pœnitentiam non egerint de peccato suo, licet infructuosam, sicuti dicitur libro Sapientiæ de damnatis quod agent pœnitentiam; penitentia autem peragi non potest, sine mutatione voluntatis: ergo in dæmonibus non est naturalis immutabilitas voluntatis. Alioqui

Dæmon sine miraculo voluntatem mutare non posset. Nam quod est contra naturam, fieri non potest sine miraculo. Docent autem communiter S. PP. quod Dæmones, comprehenso à Judæis Christo Domino, incendebant eorum studia, ut eum morti traderent; & alia ex parte, timentes sui imperii ruinam nitebantur eum à morte liberare, ut contigit uxori Pilati: in quo non potuit non intervenire varia vicissitudo voluntatum. *Ni dicas* diversitatem voluntatum intervenisse inter diversos Dæmones, qui diversis studiis addicti erant; non in eodem Dæmone. Hæc tamen possunt dici ad difficultatis effugium; incredibile enim videtur, quod idem Dæmon non sub dubitarit de convenientia aut inconvenientia mortis Christi; sicque astuans non mutarit voluntatem.

207 Adversariorum fundamentum ex dictis dirutum manet: nam ejus vis stat in eo, quod voluntas Angeli deliberata, electiva, mutari non potest, nisi mutetur judicium regulativum illius: unde cum hoc judicium mutari non possit, manet voluntas Angeli immutabilis. Nam assumptio argumenti est omnino falsa; nam voluntas libera sub quocumque judicio regulante potest eligere quodlibet extremum pro sua libertate, & minus bonum in comparatione majoris boni; quia in hoc consistit plenum dominium, & libertas voluntatis creata.

ART. XXVII. De Via & termino Angelorum.

208 **D**iximus Angelos non esse creatos ante Mundum corporeum, nec post illius creationem: cum autem sint intra illum, *queritur* ubi creati sint? Comune est Theologis creatos in Cælo. Nam eo loco creati sunt, unde mali per suam malitiam ceciderunt; sed Angeli mali ceciderunt de Cælo juxta illud Isaïæ cap. 14. *Quomodo cecidisti de Cælo Lucifer, qui mane oriebaris*: quæ verba, licet de Rege Babylonis dicta sint; à PP. intellecta sunt de Principe Dæmoniorum. Et illud Christi Domini Lucæ cap.

10. *Videbam Satanam tamquam fulgur de Cælo cadentem* : unde videtur Angelos à Deo creatos in Cælo.

209 At cum in sacris libris vox *Cælum* & usurpetur pro aëre, & usurpetur pro Cælo in quo sunt planetæ & stellæ, & pro supremo Cælorum, quod dicitur *Empyream*, & est sedes Beatorum : *disquiritur*, an Angeli creati sint in Cælo Empyræo? Post Bedam, & Strabonem, Mag. Sent. D. Thomas, aliique plurimi, quos congerit P. Henao Empyrologiæ tom. 2. Exercit. 20. sect. 2. docent, Angelos creatos in Cælo Empyræo; at alii plures, licet non numero, eruditione & sapientia æquales, quos inter Suarez, & ipse Henao id negant.

210 *Dicendum nobis* Angelos non esse creatos in Cælo Empyræo, sed in supremo Cælo stellarum & planetarum. *I.* quia Adam extra Paradysum creatus est, ne censeret jure naturæ illum sibi deberi locum, ut autumant aliquot PP. & graves Expositores : ergo pariter ne censerent Angeli Empyræum esse locum sibi debitum, debuere extra illud creari. *II.* quia Angeli creati sunt, ubi commissum est prælium inter ipsos; sed Empyræum non est locus prælii, cum sit creatum ad supremam quietem & fœlicitatem beatorum : ergo in Cælo Empyræo non sunt creati Angeli. *III.* quia si Angeli creati essent in Empyræo, in illo mali peccavere; sed non peccavere in illo : ergo in illo non sunt creati. *Prob. Min.* quia Empyræum non est peccati locus pro his, qui in ipsum confidunt juxta illud Apocalypsis : *Nihil coinquinatum intrabit in ea*, ergo nec debuit esse locus, in quo peccatum committeretur. Hac faciunt verisimiliorem nobis hanc sententiam.

211 *Sed Dices pro contraria* : perfectior creatura perfectiori loco debet creari; sed Angelus est creatura perfectior aliis : ergo perfectior loco creari debuit. At Cælum Empyræum est perfectior locus : ergo debuit creari in Cælo Empyræo. *Resp.* quod Angelus licet inter creaturas sit perfectior, solum exigit creari superiori loco infra Empyræum; non verò in ipso Empyræo : nam Angelus creatus est viator, non comprehensor : cum autem Cælum Empyræum creatum sit ad fœlicitatem & quietem beatorum; non debuit in illo Angelus creari, sed solum in Cælo inferiori ad ipsum.

Obji-

212 *Obijctes tamen* : Angeli creati sunt quando in principio creata sunt Cælum, & terra ; sed tunc solum creatum est Cælum Empyræum : ergo in Cælo Empyræo creati sunt. *Maj.* est certa & *consequentia* tenet ; *Minor* autem videtur communiter recepta. *Resp.* quod quando Moyses scripsit : *In principio creavit Deus Cælum & terram* : vox *Cæli* comprehendit omne corpus, quod est supra Cælum Æthereum, ipsumque Empyræum : non enim imaginandum, quod illud spatium, quod est inter Cælum Æthereum & Empyræum, fuerit vacuum, & ibi postea creavit Deus Cælum, in quo posuit sydera & planetas ; sed totum orbem continuitate corporum creavit. Unde corpus illud, quod interjacet inter Cælum Æthereum, & Empyræum, sive sit unum, ut tenent, qui docent esse fluidum ; sive sint decem corpora solida, ut tenent alii, creatum est à Deo, quando Moyses dixit : *In principio creavit Deus Cælum & terram* : & in suprema parte illius creati sunt Angeli : quanquam postea ornaverit stellis & planetis : de quo postea tractantes de opere sex dierum.

ART. XXVIII. *An Angeli creati sint in gratia & sanctitate?*

213 **C**ertum Angelos creatos à Deo primario propter beatitudinem supernaturalem, atque adeò, data esse eis dona fidei, spei charitatis, religionis aliarumque virtutum, quarum sunt capaces, ac demum gratiam ; quippe recta ordinatio in finem nihil est aliud, quam præparatio eorum, quæ sunt necessaria ad consecutionem finis : unde sub nomine *gratiæ*, in hac disquisitione intelligenda veniunt præfata dona supernaturalia.

214 Inter antiquos Theologos quidam dixere Angelos in primo instanti creatos esse in puris naturalibus, & usque ad instans secundum gratiam non habuisse. Alii autem sentire, quod Angelis in secundo instanti oblata est à Deo gratia, quam quidam gratè, & humiliter susceperunt ; alii vero respondere superbe. Qui susceperunt sunt Angeli boni ; qui autem res-

respuere, sunt Angeli mali, & hi nunquam habuere gratiam. Communis tamen sententia Theologorum hoc tempore tenet omnes Angelos in primo instanti creatos in gratia.

215 *Cum quibus dicendum*, omnes Angelos in primo instanti in gratia creatos. *Prob. I.* ex cap. 8. Joannis ubi Christus de Diabolo loquens dixit, quod *in veritate non stetit*: id est, *non perseveravit*; veritas autem in Sacris literis sepiissime accipitur pro justitia, & sanctitate: ergo si Diabolus, non perseveravit in justitia, fuit creatus in illa. *II.* Quia id docent communiter PP. præsertim Basiliius, Psalm. 32. Augustinus lib. 11. de Civitate cap. 11. & lib. 12. cap. 9. inquit, quod Deus erat in Angelis *concedens naturam*, & *largiens gratiam*, quod solemne factum est Theologis. Hieronymus Osee, cap. 3. Theodoretus lib. de cultu Dei, Prosper de vita contemplativa cap. 3. Damascenus, & alii plures.

216 *Probant alii*: quia primus homo creatus est in gratia: ergo potiori jure Angelus. *Uterius*: quia Angelus creatus est ad promerendam beatitudinem: ergo cum gratia; quia sine illa meritum esse non potest. Verum hæc fundamenta sunt debilissima; nam gratia est donum gratuitum Dei supra omnem exigentiam & proportionem naturæ: atque adeo est mala consequentia: Deus uni dat gratiam: ergo dat alteri: quia *cujus vult miseretur*: ut ait Apost. & sic ex hoc, quod Deus creavit hominæ in gratia, non sequitur creasse Angelum in illa. Similiter etsi Deus creavit Angelum ad promerendam beatitudinem; nobis non constat, an ipsum creavit ad illam promerendam pro primo instanti, vel secundo; nam solum est necessaria gratia pro instanti meriti. Nec in cap. *Firmiter de Summa Trinit.* quando dicitur, quod Diabolus à Deo bonus creatus est; definitur, quod sit creatus in gratia supernaturali; sed solum quod sit creatus sine culpa; quod verum esset, esto creatus in puris naturalibus, si in primo instanti non peccavit.

217 Nec in contrarium aliquid est momenti. Nam quædam authoritates PP. quibus innuitur quod Angeli mali nunquam habuere gratiam, explicandæ veniunt de gratia perseverantiæ.

218 *Queritur III.* an Angeli gratiam acceperint per propriam dispositionem. Certum omnino potuisse Deum Angelis conferre gratiam dependenter à propria dispositione, & independenter ab illa, sicuti parvulis per baptismum confert gratiam sine propria dispositione, & adultis mediante dispositione propria: de quo nihil in Scriptura, aut PP. unde Theologi conjecturis determinant hanc litem, & fere pari numero. Qui dicunt Angelos gratiam suscepisse mediante propria dispositione, moventur; quia suscipere gratiam mediante propria dispositione, est perfectior modus habendi eam ex parte creaturæ intellectualis; sed Deus contulit Angelis gratiam juxta perfectiorem modum eam habendi: ergo eam contulit eis mediante propria dispositione. *Uterius:* quia beneficium non fit invito, sed volenti; sed gratia est beneficium factum Angelis: ergo fuit factum ipsis volentibus, & consequenter dependenter ab eorum dispositione.

219 Hoc tamen fundamentum non probat quod intendit; quia licet recipere gratiam per propriam dispositionem sit perfectius ex parte recipientis (de quo non disputamus) tamen conferre gratiam sine prævio aliquo respectu est perfectior modus ex parte conferentis; quia nihil gratiam præcedit: & hoc modo collatum est beneficium unionis hypostaticæ humanitati Christi. Nam omnes ejus actiones fuisse *Theandricæ*, seu Dei viriles: unde cum scire non possimus, quoniam modo voluerit Deus Angelis gratiam conferre: unusquisque potest in sensu abundare, & potius est ignorantiam fateri. Nec assumptum confirmationis est verum respectu Dei: nam beneficium creationis non fit volenti, nec etiam beneficium gratiæ prævenientis: quia fit, ut velimus, non quia volumus: sicque dici potest de Angelis gratia collata.



ART. XXIX. *An Angelis data gratia ad mensuram perfectionis naturalis eorum?*

Hoc est: *an Angelis, quo perfectiores natura, sit data perfectior gratia?*

220 **H**ÆC quæstio locum non habet in sententia eorum, qui tenent omnes Angelos esse ejusdem speciei: nam si sunt æquales natura, si data est gratia juxta mensuram perfectionis naturæ, hoc ipso, quod perfectione naturæ sint æquales; erunt æquales in gratia. Nec habere potest in sententia eorum, qui tenent datam Angelis gratiam juxta propriam dispositionem; nam in hac sententia Angeli non juxta naturam acceperunt gratiam, sed juxta propriam dispositionem, ita ut qui majori dispositione polluit, majori gratia donatus est; ad quod nihil obest major perfectio naturæ: nam B. Virgo natura inferior est Angelis, quos tamen longissime gratia excedit.

221 *Unde nobis potius dicendum*, quod Deus gratiam suam dividit singulis prout vult: & qua ratione voluit Angelis distribuere, nulla ex parte voluit manifestare; nec in hac re conjecturæ sunt alicujus ponderis.

222 Certum tandem in hac re est, quod licet Angeli sint creati in gratia, non sunt creati in beatitudine supernaturali. *Aliqui probant*: quia Angeli Sancti meruerunt beatitudinem in primo & secundo instanti; unde in illo primo eam non habuere: quod argumentum est fallax; quia optime potest præmium meritò coexistere, ut constat ex augmento gratiæ, quod respondet meritis justorum. Efficax probatio sumitur ex eo quod beatus peccare non potest, ut docent omnes Theologi; at omnes Angeli peccare potuerunt, & de facto plures peccarunt: ergo non fuere creati beati, seu non fuere creati in beatitudine supernaturali.

223 *Si autem quæras*: an Angeli Sancti cum gratia data

meruerint beatitudinem supernaturalem. *Resp.* quod Angeli ex collata eis gratia habuere jus ad beatitudinem; nam per gratiam constituti sunt Filii Dei adoptivi, & juxta Apost. *Si autem filii & heredes*: unde primus gradus gloriæ non potuit cadere sub merito, sicuti nec cadere potest primus gradus gratiæ: sicque per opera gratiam subsequens solum meruere augmentum beatitudinis, qualia fuere, quæ exercere in primo & secundo instanti. Ex quo tandem constat, quod Angeli Sancti per perseverantiam consecuti sunt gloriam: nam *semper vident faciem Patris*, ut docuit Christus.

ART. XXX. De peccato Angelorum.

224 CUM omnes Angeli in sua creatione per naturam fuerint boni: *quia vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Genesis cap. 1. errarunt Manichæi & eorum propagines Priscillianistæ, qui teste Augustino lib. 11. de Civitate Dei cap. 3. docentes Diabolum & ejus socios per propriam naturam esse malos, & non libero voluntatis arbitrio: si enim Diabolus natura esset malus, non foret dignus supplicio; cum naturalibus, seu his, quæ à natura sunt, nec mereri, nec demereri possimus: unde justissimas, quas luit pœnas Dæmon apprimè testantur non fuisse natura malum; sed libero arbitrio & propria electione: atque adeò damnatus est hic error à Conciliis & PP. præsertim Bracharensi l.

225 Certum deinde ex Angelis creatis à Deo quosdam peccasse; alios perseverasse in gratia: id constat plurimis Sacre Scripturæ locis, præsertim Job cap. 4. *In Angelis suis reperit pravitatem*, Joan. 1. cap. 3. *Diabolus ab initio peccat*: & Petrus Epist. 2. cap. 2. *Angelis peccantibus non pepercit.* Unde peccantes appellati sunt Diaboli, Dæmones, Satan, & Apostatæ. Quodnam verò fuerit primum eorum peccatum: relicto Muhamedis errore, qui somniabit Angelos peccasse eo quod, noluerint Adamum venerari, ut præceptum erat à Deo, ut referunt Carthusianus, Catherinus, & alii: aliquot veterum PP. censuere primum Angelorum peccatum fuisse carnalis luxuriæ cum filiabus hominum, ducti ex illo Gene-

sis cap. 6. *Videntes Filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Ubi aliquot PP. Angelos intelligunt notari ea voce *Filii Dei*, & quia etiam censuere Angelos aliquo modo esse corporcos. At hæc opinio jam refutata est à Chrysostomo, & aliis PP. Tum quia quando Filii Dei acceperunt uxores filias hominum, jam Diabolus peccaverat, tentaverat Evam, Deusque illi maledixerat: unde non fuit primum Angelorum peccatum carnalis luxuria, & concupiscentia cum filiabus hominum. Tum quia cum Angeli sint incorporei, sunt incapaces se carnaliter commiscendi cum filiabus hominum, & effective gignendi gigantes; qua de causa jam omnes Interpretes, eo loco hac voce *Filii Dei* intelligunt filios Sethi tertii filii Adam ad differentiam filiorum Cain.

226 Licet Dæmon peccarit peccato invidia, aliisque peccatis; communis sententia PP. tam Græcorum, quam Latinorum est primum ejus peccatum fuisse superbiam, uti videtur constare ex verbis Isaia cap. 14. *In Cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, & similis ero altissimo.* Ezechiel cap. 28. *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Tobia 4. *In superbia initium sumpsit omnis perditio.* Et 1. ad Timoth. cap. 3. *Ne in superbiam elatus, in judicium incidat Diaboli:* ubi Interpretes tam Græci, quam Latini, docent primum Diaboli peccatum fuisse superbiam.

227 Verum cum superbia communi Theologorum sensu sit inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, & excellentia sit quid respectivum ad alium, vel alios: *queritur*, quod fuerit objectum superbiæ Angelorum? In qua difficultate, qua latissimè ab aliquibus tractatur, quia variæ sunt Sententia Auctorum, brevitati consulentes, aliqua oportet notare, ut confutemus quæ non placent. Atque adedò notandum I. voluntatem non posse exerceri, nisi in objectum representatum, & cognitum per intellectum, in quo conveniunt omnes Theologi, & Philosophi. II. quod voluntas affectu prosecutionis, & desiderii non potest ferri in impossibile cognitum ut tale; quia cum impossibile existere non possit, nullatenus est exequibile; licet voluntas in impossibile possit ferri affectu conditionato, hoc est, sub conditione pos-

sibilitatis objecti. Tandem notandum III. quod omnes Dæmones peccarunt ea specie peccati, qua peccavit Lucifer, qui eos in suam sententiam traxit, & simili superbia detrusi sunt tartarum.

228 I. ergo sententia tenet objectum superbiæ Angelorum fuisse similitudinem, & aequalitatem cum Deo per identitatem cum illo; sed hac sententia quamvis videatur innui illis verbis Isaia cap. 14. *Conscendam in Cælum &c.* Verum (ut jacet) communiter improbatur, quia Angelus cognoscit evidenter se, nec posse esse Deum, nec aequalem Deo, idque implicare contradictionem: ergo non potuit id desiderari affectu absoluto, cum sic non possit ferri in impossibile cognitum ut tale.

229 Dices peccatum Angeli non fuisse appetere esse Deum, aut esse illi aequalem absolute, ut probat argumentum; sed solum voluisse esse Deum, aut illi aequalem conditionatè, hoc est, sub conditione, quod id quod erat impossibile, foret possibile, in quo maxima est deordinatio: quippe sub nulla conditione potest esse licitum creaturæ equiparari creatori; quia semper ex parte subiecti conditionem creaturæ includit nullo modo comparabile creatori.

230 Sed contra stat. Nam vel Angelus voluit esse Deus conditionatè, hoc est, casu quo foret possibile, in sensu composito esse Angeli, vel in sensu diviso esse Angeli. Si in sensu composito esse Angeli; voluisset esse simul Angelus, & Deus, quod fieri nequit, nisi per unionem hypostaticam; ac proinde ejus peccatum stetisset in appetenda unionem hypostatica conditionatè: de quo postea. Si autem appetiit conditionatè esse Deus in sensu diviso esse Angeli, hoc est, non essendo: sicut justus potest peccare fataliter non in sensu composito gratiæ; sed in sensu diviso illius; appetiisset suum non esse: quod dici non potest ab his, qui docent Angelos se amare necessariò quoad exercitium. *Ulterius.* Quia appetendo non esse, ipse non posset esse: si non posset esse, implicaret, quod foret Deus adhuc sub illa conditione. Nam propositio de secundo adjacente non potest esse vera, si sit de subiecto non supponente: ergo de primo ad ultimum illud desiderium conditionatum Angeli, in quo ponitur ejus pec-

catum, est impossibile, & nugatorium: nec verisimile est, similibus nugis voluisse peccare Angelum.

231 His de causis alii Theologi hanc sententiam moderati sunt, dicentes peccatum Angeli non fuisse desiderare esse similem Deo per æqualitatem, sed solum per participationem, in quantum voluere absolutum dominium super homines, & super omnia corpora universi. Nam ut plures Theologi tenent, homo factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, in quantum quandam plenitudinem domini ei contulit: & hanc similitudinem domini appetiisse Angelum super homines, & creaturas corporales.

232 Adjicere & aliquis posset stetit, & Angelorum peccatum in hoc, quod Deuseos destinavit ministros hominum juxta illud Pauli ad Hebræos cap. 1. *Omnes sunt administratorii spiritus propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*: & illi præ superbia noluisse hominum esse ministros. Potest & dicere aliud peccatum Angelorum stetit in hoc, quod præ superbia dedignati sunt consortes habere homines in æterna beatitudine. At hæc de dominatione super homines, & ceteras corporales creaturas: de spreto hominum ministerio, & eorum consortio in æterna beatitudine nec habent fundamentum in Scriptura, nec PP. unde voluntariè asseruntur, & fundamento carent.

233 II. *Sententia tenet* peccatum Angelorum fuisse appetitum unionis hypostaticæ, quæ apud aliquos plausibilis est; sed ad veritatem illius primo requiritur, quod Angelis fuerit in via revelatum Mysterium Incarnationis: quod non elicitur ex Scriptura, nec constat ex antiquis PP. Si enim unio hypostatica non fuit ab eis cognita, non potuit ab eis appeti. *Uterius.* Quia in Angelis, supposita cognitione unionis hypostaticæ, appetitus illius vel esset per se habenda: & hoc non; quia Angelum habere per se unionem hypostaticam erat impossibile cognitum ut tale: ergo non potuit Angelus appetere habere per se unionem hypostaticam. Vel esset habere unionem hypostaticam, ut sibi debitam; & nec hoc potuit appetere Angelus, quia id cognoscebat impossibile; nam dona Dei debita esse non possunt. Restat ergo, quod Angelus solum potuit appetere unionem hypostaticam

cam ex gratia donandam à Deo. Hoc autem nisi fuisset specialiter Angelis prohibitum, non videretur peccaminosum. Nam creaturam velle uniri cum Deo per amorem, & charitatem, fierique unum spiritum cum illo non est peccaminosum: ergo nec est peccaminosum uniri realiter hypostaticè cum Deo ipso, Deo annuente: perfectior enim est unio realis cum Deo per unionem hypostaticam, quam per unionem affectivam: quapropter non videretur peccatum Angelorum stitisse in appetitu unionis hypostaticæ supra dicto modo.

234 Si autem dicatur Angelos appetiisse unionem hypostaticam ex invidia hujus beneficii decreti pro natura humana, juxta illud Apostoli ad Hebræos cap. 2. *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahamæ.* Contra stat: quia jam primum Angelorum peccatum non fuisset superbia; sed invidia, quod est contra communem consensum PP.

235 *III. Sententia tenet* Angelorum peccatum extitisse in nimio sui amore, complacentia & philautia, quæ tribuitur Scoto, & ejus discipulis. Sed hæc Sententia prout his terminis jacet, non videretur esse posse de mente subtilis Doctoris. Nam complacentia, & amor de bonis habitis à Deo peccatum non est; quippe humanitas Christi sibi complaceret de unione hypostatica, & beati cōgaudent de sua beatitudine: ergo complacentia Angelorum de suis naturalibus perfectionibus (per se loquendo) non pertingit ad rationem peccati. Nec intensio potest illam constituere peccaminosam; nam intensio, etsi augeat actum; non mutat illius speciem, sed illum relinquit in eā: ergo si complacentia de propriis perfectionibus non est peccaminosa; intensio illius non potest illam efficere culpabilem. Et sic non potuit in eā Angelorum peccatum consistere.

236 Quapropter *cehseo* mentem Subtilis Doctoris fuisse, quod Angelus peccavit præ nimio sui amore, hoc est, quia se appetitative dilexit illius sui pulchritudine plus quam Deum ipsum interpretative contemnens: ad modum quo Christianus, qui lealiter peccat peccato avaritiæ, amat exercite & appetitative magis pecuniam, quam eternam beatitudinem, ac Deum ut summum bonum; & hoc fuisse Angelorum peccatum. Etenim in omnium sententiā, cum
pec-

peccatum Angeli fuerit letale; necessario importavit contemptum Dei ut summi boni; saltem virtuale & interpretativum: cur ergo non potuit Angelus præ nimio sui amore se diligere appetitæ plusquam Deum; esto cognosceret Deum supra omnia diligendum secundum regulam moralitatis? Atque aded hoc modo explicatam censeo hanc sententiam non solum probabilem; sed & probabiliorem, ut pote suffultam Auctoritate Augustini lib. 11. de Civit. cap. 8. & lib. 14. cap. ultimo & aliis locis. Quod autem hic amor dicatur amicitie, vel concupiscentie; questio est de nomine.

237 *Sententia Thomistarum est* peccatum Angelorum extitisse in hoc, quod noluerint beatitudinem supernaturalem, ad quam creati sunt cum gratia & fide, mediante perseverantia. Hujus sententie Auctores sunt inter se divisi: quidam tenent Angelorum peccatum stetisse in hoc, quod noluerint beatitudinem supernaturalem, sibi satis esse ducentes felicitatem, & pulchritudinem propriæ naturæ. *Alii autem docent,* peccatum Angelorum stetisse in nolitone beatitudinis supernaturalis per merita consequendæ. Nos non dubitamus his modis sicuti aliis potuisse peccare Angelum; sed cum hæc materia sit facti, gratum nobis esset testimonium fulciretur sic peccasse Angelum. Nam apud ejus Auctores præcipuum fundamentum est impugnatio aliarum Sententiarum, quod meo judicio debile est, nisi aliarum Sententiarum falsitas nota esset, quod id non contingit.

238 *Ultima tandem sententia* eorum est, qui tenent, Angelis in via revelatum Incarnationis Mysterium, ipsisque præceptum esse, ut in fide adorarent hominem Christum futurum, & eorum caput (præcindimus à modo, de quo variant Sententie) & tenuisse ipsum adorare. Porro Christum præceptum fuisse Angelis adorandum indicat Apostolus ad Hæbreos cap. 1. His verbis. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Si ergo ex momento quo Filius Dei per Mysterium Incarnationis introductus est in orbem terræ, præceptum est Angelis iterum ipsum adorare; jam antea datum ipsis erat præceptum ipsum adorandi: alias non dixisset Apostolus *ite-*

rum: nec videtur tempus magis aptum pro primo præcepto, quam tempus viæ ipsorum Angelorum; licet tunc solum revelatum fuerit eis Mysterium quoad substantiam præcisè, & non quoad circumstantias. Nam quantum ad hæc, plures PP. & Theologi tenent Sanctos Angelos plura cognovisse Deo revelante de hoc Mysterio; unde hac sententiâ supposita, hujus opinionis Auctores docent superbiam Angeli fuisse abnuere adorare Christum revelatum ipsis per fidem; quæ sententia est satis verisimilis, nec quidquam habet, quod ei obster, nisi quod verba Apostoli à potioribus Interpretibus, de Resurrectione Christi, qua iterum introductus est in orbem terræ, intelliguntur.

239 Hac in re nolumus uti auctoritate PP. quia etsi sint concordēs in asserendo peccatum Angelorum fuisse superbiam; sunt valde discordēs in asserendo motivo superbiæ: qua de causa poterit quis eligere opinionem suæ menti magis consentaneam.

ART. XXXI. *An peccatum Angelorum processerit ex errore intellectus?*

240 **T** Homistæ communiter docent non posse esse peccatum in voluntate, nisi præcedat error in intellectu; sed Nos jam satis innuimus, quod licet peccatum includat per se errorem practicum, quia deviat & deficit à regulâ moralitatis, & hac ratione est per se error ab illa; tamen ad peccandum non requiritur, quod præcedat error in intellectu: Tum quia cognoscens bonum sensibile esse re vera sensui delectabile, esseque oppositum legi, potest illud appetere, & consequenter peccare sine errore in intellectu. Tum quia Adam peccavit & sine errore in intellectu: quippe ut ait Apost. 1. ad Timoth. cap. 2. *Non est seductus in prævaricatione*, ad differentiam Evæ. Tum quia peccatum ex malitia, prout differt à peccato ex ignorantia, hanc omnino excludit. Tum quia Angeli quidquid in primo instanti cognoverunt, & cognovere in secundo: atque adeò, si non fuit in primo instanti error in intellectu Angeli; nec fuit in secundo.

do : unde fit , quod peccatum Angeli non processit ex errore formali in intellectu.

241 His de causis præcipui Thomistarum docent peccatum non processisse ex errore formali in intellectu Angeli; sed solum processisse ex defectu considerationis & advertentia ad ea , quæ si actu considerasset , illum averterent à peccato. At ut brevitati consulamus , *quærendum* ab his Auctoribus : an omnibus his consideratis posset Angelus peccare? Si non posset , non esset liber : ac proinde horum consideratio tolleretur libertatem , quod asseri nequit. Si posset peccare : ergo cum hac plena consideratione potest stare peccatum. *Uterius.* Quia consideratio beneficii creationis , præmii supernaturalis beatitudinis , & timor æternæ damnationis sunt potiora , quæ perpenſa à peccato retrahunt ; at hæc non considerasse Angelos & habuisse præsentia , non videtur verisimile : unde peccatum Angeli non processit ex defectu considerationis , sed ex pura malitia. Hoc tamen non obstante , *cenſeo* Angelos , qui suadente Lucifero , peccarunt , aliquo modo vere seductos ; quippe ejus falsæ suasioni consensere.

ART. XXXII. *An Angeli post peccatum immediate sint detrusi in infernum?*

242 **A**ngelos peccatores Cælo depulſos , ubi creati sunt , & dejectos in infernum flammis æternis addictos certum de fide est , uti constat ex 2. Petri cap. 2. illis verbis : *Deus Angelis peccantibus non pepercit , sed rudentibus inferni detractos , in tartarum tradidit cruciandos.* Et ex Epist. Judæ : *Angelos , qui non servaverunt suum principatum , vinculis æternis sub caligine reservavit.* Unde quod quæritur est : an immediate post peccatum fuere addicti æternæ pœnæ , vel an eis fuerit datum spatium aliquod ad agendam pœnitentiam ad obtinendam remissionem culpæ? Hæc disquisitio lœum non habet in sententia eorum , qui docent , Angelos post liberam electionem ad malum , natura sua esse obstinatos in malo ; ac proinde esse incapaces pœnitentiæ ;

verum cum contrarium sit nobis assertum; *disquirimus*, an sit eis datum spatium aliquod ad agendam pœnitentiam?

243 Ex antiquis non defuere, qui asseruerint Angelis prævaricatoribus datum spatium pœnitendi & resipiscendi à culpa; ita S. Cyrillus Hierosolymitanus Cathec. 2. Nemefius de Anima cap. 2. Referunturque pro ea Scotus, Gabriel, Liquetus, Salmeron, Lorinus, & alii à P. Ortega de Angelis Controv. 8. Disp. 4. q. 2. art. 4. quam & tuetur nervose: & ante ipsum Columbus lib. 2. de Angelica Hierarchia cap. 30.

244 *Dicendum tamen* cum communiori Theologorum sententia Angelis peccatoribus non datum spatium pœnitentiæ eliciendæ ex gratiæ auxilio; sed immediate post peccatum detrusos fuisse in infernum. *Prob. ex illo Petri Deus Angelis peccantibus non pepercit*: quæ propositio æquivalet huic: *Nulli Angelorum peccantium pepercit*: ergo non est datum eis spatium pœnitentiæ. *Prob. Conseq.* Quia si Angelis peccantibus esset datum spatium pœnitentiæ, aliqui eorum pœnitentiam egissent; non enim apparet verisimile, quod ex tantis myriadibus Angelorum, qui peccarunt, aliquis saltem pœnitentiam non egisset; sicut non est verisimile, quod prædicante viro Apostolico, donis ornato Spiritus Sancti coram quadraginta millibus hominum, non aliquis ad pœnitentiam moveatur, sicut contigit in diebus Noe; sed nullus Angelorum pœnitentiam egit, quippe Deus nulli pepercit: ergo non est concessum Angelis peccantibus spatium pœnitendi; sed immediate post peccatum detrusi sunt in infernum.

245 *Nec valet dicere*: Deum misericordiosissimum non esse verisimile Angelis peccantibus noluisse spatium pœnitentiæ concedere, cum experiamur sceleratissimos & flagitiosissimos hominum expectare ad pœnitentiam: nam ut ait Apostolus: *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat*: hoc est, *relinquit in sua duritia*: sicque Deum uti voluisse misericordia cum hominibus, & justitia cum Angelis, eos immediate post peccatum detrudendo in infernum. Auctoritati S. Cyrilli, & Nemefii reponimus auctoritatem aliorum PP. qui docent ad Angelorum peccatum secutam illico pœnam.

ART. XXXIII. *An potior Angelus inter peccantes præcesserit ceteros Angelos? hoc est, fuerit supremus inter omnes Angelos?*

246 **P**ræcellentia inter creaturas intellectuales alia est ratione naturæ, ratione cujus Angelus excellentior est homine: alia ratione gratiæ, & bonorum supernaturalium, qua ratione Beata Virgo Maria excellentior est Angelis: & alia ratione jurisdictionis, qua ratione Pontifex Romanus, tanquam Vicarius Christi, est superior omnibus Christianis.

247 Primum Angelorum peccantium fuisse perfectissimum inter Angelos quantum ad perfectionem specificam propriæ naturæ, omnino ignoramus; quia nescimus, an Angeli solo numero differant; an verò sint in eis sub eodem genere species variæ: ac proinde si Angeli solo numero differunt, Lucifer, qui dicitur primus inter peccantes; dici non potest supremus quantum ad perfectionem specificam propriæ naturæ; cum sit ejusdem cum ceteris Angelis in hac opinione. Si autem specie differant, nihil certi habemus, nec ex Scriptura, nec ex PP. quia de hac specifica naturæ excellentia non tractarunt.

248 De præcellentia gratiæ, & bonorum supernaturalium supra omnes Angelos nihil est etiam certi: sicuti nec est de præcellentia ordinis, seu Hierarchia comparative ad omnes Angelos creatos, ita ut nullus fuerit eis æqualis, aut superior. Nam licet Tertullianus, Lactantius, Sanctus Gregorius Papa, Isidorus, Beda, Bernardus, Mag. Sent. Divus Thomas, & alii sic senserint; ex PP. Græcis Nyssenius, Anastasius Antiochenus, Cyrillus Alexandrinus, Cassianus, & alii apud Petavium tom. 3. Theolog. Dogmat. lib. 3. opinantur Luciferum fuisse de infimo Angelorum ordine.

249 Præcipuum fundamentum Latinorum PP. & Scholasticorum est illud Job cap. 40. ubi sub typo Behemoth dicitur

citur de Lucifero, quod est *principium viarum Dei*; sed non fuit principium viarum Dei ordine temporis, quia omnes Angeli creati sunt simul: ergo fuit principium viarum Dei ordine dignitatis, & excellentiæ. Hoc tamen fundamentum vim non habet, cum sit ab allegoria ad historiam, quod non valere docuit Sanctus Augustinus pluribus in locis; & ibi (ut notat Doctissimus Pineda) vox *principium* non sumitur in sua rigorosa significatione. Nam Behemoth fuit productus, cum producta sunt cætera animalia: unde vox *principium* ibi solum significat quid præcipuum inter opera Dei; non primum opus excellentiæ, & dignitate comparativè ad omnia alia opera Dei.

250 Ex præcitatis locis Isaïæ, Ezechielis, & ex dictis PP. colligitur, Luciferum fuisse unum ex præcipuis Angelis, natura, aut gratia, aut dignitate; cæterum, quod fuerit supremus inter Angelos, ita ut nullus fuerit ei æqualis, aut superior, certo fundamento non evincitur.

251 Si autem queratur, quot Angeli peccaverint. Respondetur de numero determinato non constare, ac solum ex Apocalypsi cap. 12. v. 4. haberi Luciferum secum traxisse tertiam partem stellarum, hoc est, tertiam partem Angelorum: ac quidem plures fuisse, patet ex Dæmonum legionibus: ac legio includit mille sexcentos & sexaginta sex.

ART. XXXIV. An & quomodo Dæmones torqueantur in inferno ab igne corporeo?

252 **H**Æc quæstio & cruciat Theologorum ingenia, in variasque coegit abire sententias: & quidquid dictum fuerit de cruciatu dæmonum, intelligendum venit de cruciatu animarum damnatarum ad perpetiendum inferni pœnas: pro quo necesse est aliqua certa supponere, ut appareat scopus difficultatis.

253 Constat enim ex præcitatis locis Epistolarum Beati Petri, & Beati Judæ Angelos, qui peccarunt detentos in infer-

ferno cruciandos aeterno igne: ac *supponendum* ignem inferni esse verum & corporeum ignem; non metaphoricum, id est, conscientiae remorsus & cruciatus, uti censuere Origines & alii. Nam etsi vox *Ignis* aliquando accipitur in Scriptura in sensu metaphorico; attamen cum agitur de igne Inferni communis Ecclesiae consensus & PP. docet, intelligendum esse de vero & proprio igni, sive sit ejusdem speciei cum nostro, alteriusve speciei, qualis ponitur sub concavo Lunae ab aliquibus Philosophorum.

254 *Supponendum etiam*, quod damnati cruciantur, exuruntur, cremantur teterrimo dolore ab igne, ita ut hic sit instrumentum Divinae justitiae, se habens active ad eorum tormentum, ut constat Judith 16. *Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur & sentiant usque in sempiternum.* Et Matth. 3. *Congregabit triticum suum in horreum; paleas autem comburet igne inextinguibili.* Joann. 15. *Siquis in me non manserit, mittetur foras sicut palme, & arescet & colligent eum, & in ignem mittent & ardet.* Et de adorantibus bestiam Apocalyp. 14. dicitur, quod *cruciantur igne & sulphure*: unde ignis corporeus inferni vere cruciat damnatos, sive sint Dæmones, sive animæ hominum. Unde cum corpus naturaliter in spiritum agere non possit, D. Augustinus, & Gregorius Magnus difficultatem considerantes, asseruere Dæmones & animas damnatorum igne corporeo torqueri, *miris, sed veris modis*: quod utique verissimum censemus.

255 Theologi tamen tentant aliqualem lucem huic difficultati inducere, & in varias abiere sententias: & prima est eorum, qui etsi ponant verum ignem & veram alligationem Dæmonum ad illum; docent tamen torqueri ab igne per solam hanc falsam apprehensionem, quam nunquam a se depellere possunt: & ad modum quo dormiens cruciatur falsa imagine somni, quo vulneribus confoditur, cum tamen nihil horum patiatur. At hæc opinio solum docet Dæmones torqueri per suam falsam apprehensionem, nihil penitus active cooperante igne ad eorum cruciatum, quod est contra ante dicta. *Ulterius.* Quia Dæmon per scientiam naturalem cognoscit ignem corporalem naturaliter sibi nocere non pos-

posse: ergo non potest formari iudicium de ignis tortura. Si dicatur infundi à Deo hunc errorem in mentibus Dæmonum, & damnatorum ad eorum torturam: *stat contra*, quia probabiliore sententiâ Deus non potest esse per se causa erroris; & ignis non habebit ullam efficientiam in eorum torturam.

256 II. *Sententia est Thomistarum* asserentium Dæmones & damnatos igne inferni torqueri per veram alligationem ad ignem corporeum; nam cum Dæmones sint absoluti ab omni corpore, & independentes ab illo; est maximum illis tormentum esse igni corporeo illigatos. *In hac tamen sententia*, etsi salvetur tali illigatione Dæmones torqueri; non salvetur torqueri per actionem ignis, nam ignem esse eis illigatum, non est aliquid agere in illos contra supra dicta. *Uterius*. Quia si adæquata pœna Dæmonum esset illigatio ad ignem; sequeretur æqualem esse penam in omnibus Dæmoniis, quia omnes sunt æqualiter alligati igni: ac per consequens Lucifer qui magis peccavit, non puniretur majori pœna, quam qui minus peccavit, quod est absurdum. Nam etsi pœna damni sit æqualis in omnibus Dæmoniis; pœna sensus, ut sic loquamur, correspondet secundum iustitiam Dei quantitate delicti: unde cruciatus Dæmonum non potest stare in sola alligatione ad ignem.

257 III. *Sententia* Scotistis tribuitur, qui consentientes Thomistis, quod Dæmones torquentur per alligationem ad ignem: addunt insuper torqueri perpetua, & necessaria ignis cogitatione, ita ut nec levissimo instanti possint ab ea cessare: quæ cogitatio cum sit eis ingratisissima, non potest non Dæmones maxime torquere. *Hac tamen sententia* merito aliis displicet. I. quia in ea non reperitur ulla actio ignis in Dæmonum tormentum, quod est necessarium ad salvandum cum proprietate modum loquendi Scripturæ, & PP. II. quia in Dæmonibus ultra alligationem ad ignem, necessaria cogitatio illius, vel est tanquam nocivi, vel solum qua præsentis, & non nocivi. Si est ut nocivi, illud ratione cuius illis nocet, erit eorum tormentum, & hoc inquirendum remanet in hac sententia. Si verò Dæmones cogitent necessario ignem ut non nocivum; non videtur quomodo possint cruciari à re præ-

præsenti non nociva. III. quia in hac sententia non videtur, quomodo unus Dæmon possit præ alio magis torqueri; cum in omnibus sit æqualis alligatio ad ignem, & necessaria illius cogitatio. Ex quo manent rejectæ exoticæ opiniones, & aliquorum cogitationes, qui tormentum Dæmonum posuere in unione hypostatica ad ignem: *tum* quia tantum miraculum indignum est ponere ad Dæmonum cruciatum: *tum* quia totum quod præstaret unio hypostatica ad ignem, præstaret simplex alligatio ad illum. Manet etiam rejecta opinio eorum, qui docent Dæmones ab igne torqueri tanquam à signo divinitus ordinato ad repræsésentandum eis Deum iratum, & miseras infelicissimi status, in qua non salvatur tormentum Dæmonum per actionem ignis, ut loquitur Scriptura, & PP.

258 *Dicendum nobis est ignem inferni in tantum Dæmones, & damnatos torquere, in quantum divina virtute producit in eis calorem, quo miro modo spiritus cruciatur.* Hac sententia est Augustini, & Gregorii locis citatis, & plurimorum Theologorum. *Prob. I.* quia juxta eam ignis producit in Dæmonibus calorem, medio quo torquentur, uruntur, & cremantur juxta Scripturæ phrasim, atque ad eam agit in Dæmones. *II.* quia juxta eam facile est percipere, qualiter pro qualitate culpæ Dæmones subeant majus, aut minus tormentum. *III.* quia si in sententia Thomistarum aqua elementaliter Divina virtute physicè instrumentaliter in Sacramento Baptismi producit gratiam; cur Divina virtute calor non poterit agere dolorem in creatura spiritali? Ac tandem quia Theologis bene & humiliter sapientibus fatendum est Dæmonum & animarum torturam longissimè esse à capitu nostro, fierique ab ignis calore veris, sed miris modis, ut loquuntur Augustinus, & Gregorius, mirique non essent, si nos comprehendere possemus.

259 *Notandum, quod ignis corpora animata torquet dissolutione partium; sed non sic Dæmones, qui partibus carent; sed sicut aurum ignis calore liquefcit, & non minuitur: sic ignis inferni sine dissolutione Dæmones torquet. Si autem dicas: quod sicut ignis medio calore, Divina virtute elevato cruciat, torquetque Dæmones: ita & per frigidita-*

ratem Divina virtute elevatam, poterat etiam torquere Dæmones? *Nos id ultro fatemur*; quia id quod potest Deus efficere per calorem Divinitus elevatum potest, & per frigiditatem elevatam eodem modo.

260 *Si autem queras*, quare potius per calorem ignis, quam per frigiditatem, voluerit Deus Dæmones, & damnatos cruciari? *Respondetur*, quia ignis per calorem majorem infert cruciatum in viventibus, quam frigiditas ejus contrarium; ideòque voluisse Deum Dæmones, & damnatos per ignem torqueri. *Si rursus queras*, quod sit objectum doloris, quem perpetiuntur Dæmones? *Resp.* dolorem Dæmonum nihil aliud esse, quam voluntatis eorundem aversionem, displicentiam, fugam, & horrorem ad malum illud, quod causat in illis ignis medio calore Divinitus elevato: & hoc esse objectum formale doloris, quem Dæmones perpetiuntur, quod malum in specie designare nequaquam possumus.

ART. XXXV. *An Dæmones, similiterque damnati possint ulla, licet brevissima perfrui delectatione?*

261 **C**ertum omnino est Dæmones, & damnatos tormentum ignis sine intermissione pati: & *difficultas est*, an in tanto tormento subesse possit alicui levissima, & pro brevissimo tempore delectationi locus. *Pro quo notandum est*, quod objectum simplicis complacentiæ est bonum verum, vel apparens secundum se, præscindens à præsentia & possessione; objectum vero delectationis & gaudii est bonum præsens possessum, estque quasi quies voluntatis in bono. Dux sunt in hac re sententiæ oppositæ, & utraque habet pro se gravissimos Auctores & fundamenta.

262 *Dicendum tamen* Dæmones & damnatos non posse habere ullam delectationem, aut gaudium, licet pro brevissimo tempore. *Prob. nostra Sententia*: quia Dæmones, & damnati sunt in statu summæ miseriæ; sed status summæ miseriæ.

riæ non permittit aliquam delectationem : ergo Dæmones , & damnati aliquam delectationem habere non possunt. *Maj. est certa.* Quia sicut beatitudo , quæ est Justorum præmium , est collectio omnium bonorum , & omnis mali exclusio : ita damnatio , quæ impiis contingit , est aggregatum omnium malorum & omnis boni carentia. *Min. autem prob.* Quia summa felicitas beatorum non permittit , licet pro brevissimo tempore , aliquam tristitiam , aut dolorem : ergo summa miseria Dæmonum , & damnatorum non permittit in eis aliquod gaudium aut delectationem.

263 *Confirm.* Quia miseria , quæ permittit aliquod levamen , non est summa miseria ; cum major sit ea miseria , quæ nullum levamen admittit : ergo si Dæmones , & damnati sunt in statu summæ miseriæ , qua major non est ; non possunt habere aliquod gaudium vel delectationem. *Ex quo sequitur* (ut tacitæ objectioni fiat satis) quod Dæmones , & damnati ratione statûs , & Divini decreti destinantis eos ad summam miseriam , non possint habere aliquam delectationem.

264 *Arg. I.* Summa Dæmonum , & damnatorum miseria non officit eis , ut habeant dona naturalia intellectûs , & ejus cognitionis ; cum his non sint privati : ergo similiter eorum summa miseria potest eis permittere pro brevissimo tempore aliquam levem delectationem.

265 *Resp. concessio antecedenti , & negata consequ.* & ratio discriminis est , quia pœna formaliter ut talis , necessario requirit subjectum quod perpetiatur malum , qua ratione annihilatio non est propriè , & formaliter pœna ; sed destructio subjecti , & insuper requirit in subjecto cognitionem mali , quod patitur. Unde in Dæmoniis , conservata eorum existentia , manet cognitio , & ea quæ pertinent ad rationem intellectualis creaturæ ; quia hæc omnia sunt necessaria ad perpetiendum malum , quod patiuntur , deserviuntque ad eorum tormentum. At verò cum summa miseria sit exclusiva omnis boni , non permittit in Dæmonum , & damnatorum voluntate aliquod gaudium , aut delectationem.

266 *Arg. II.* Angeli licet summa felicitate præditi , habent gaudium accidentale de conversione peccatorum , ut docuit Christus apud Lucam cap. 15. ergo similiter Dæmones , cum

cum homines letaliter peccant, letantur & gaudent de eorum perditione. *Resp. neg. conseq.* & ratio disparitatis est; quia gaudium accidentale Angelorum non est contrarium gaudio eorum essentiali; at vero summa miseria Dæmonum, & damnatorum est omnino opposita omni delectationi.

267 *Sed dices:* objectum desideratum quando existit, & est præsens, causat delectationem; sed Dæmones desiderant hominum peccata, & perditionem, quæ plerumque contingunt: ergo de eis habent delectationem. *Resp.* quod bonum desideratum, quod præsens existit, causat delectationem, si voluntas quiescat in illo; secus autem si non quiescat: Dæmones autem, etsi cognoscant esse præsentia mala, quæ desiderant; non quiescunt in illis, quia semper super est illis similia desideria, atque adeò solum habent simplicem complacentiam; sed non delectationem; ad modum quo Beati habent displicentiam de peccatis hominum, & de illis non habent tristitiam, aut dolorem. Et quamvis ad præsentiam objecti desiderati connaturaliter resultet gaudium; hoc in Dæmoniis evenire non potest ratione miserrimi statûs.

268 *Denique arguunt aliqui* ex quibusdam Psalmorum locis, ubi David petit à Deo, ne inimici sui supergaudeant super ipsum, quæ verba, & alia similia intelligunt Interpretes de Dæmoniis: ergo dæmones sunt capaces alicujus gaudii. *Resp.* quod quando David petit à Deo, ne supergaudeant ipsi inimici; loquitur de Saul, aut Absalon, & aliis sibi adversantibus, ut videre est apud Ferrandum Advocatum Parisiensem in excellentissimo Commentario Psalmorum; fatemurque plerumque Psalmorum Interpretes, plerumque per allegoriam de Dæmoniis intellexisse. At argumentum ab allegoria (ut docuit Augustinus) in rebus Theologicis non valet.

ART. XXXVI. An Dæmones possint operari aliquod bonum morale?

269 **P**RO quo notandum I. quod Dæmones, & damnati nullum bonum opus supernaturale possint operari; quia omnes habitus supernaturales, quos in crea-

tione accepere; perdidere per peccatum: & licet actus supernaturalis fieri possit cum principio supernaturali transiente, aut extrinseca assistentia omnipotentia, ut docent plures; hæc sunt illis negata dona Dei in penam peccati. Quapropter cum actus supernaturalis fieri non possit sine principio supernaturali, aut auxilio extrinseco; cum Dæmones his omnibus careant, nullum possunt efficere opus bonum supernaturale.

270 Difficultas ergo superest de bono opere pure naturali, objective honesto, nullâ vitiato circumstantiâ ex fine operantis: cumque duplex sit impotentia, alia moralis, qua laborant homines in vitandis omnibus peccatis venialibus, coëctive sumptis; & alia impotentia physica, & naturalis, qualis est in homine ad volandum; loquendo de impossibilitate morali communiter Theologi docent Dæmoniis, & damnatis impossibile esse moraliter efficere aliquod bonum, undequeque honestum in ordine naturali. I. quia ex Scriptura, & PP. habetur Dæmones carere potestate ad quodvis opus morale, undequeque honestum: Joannis enim cap. 9. ait Christus: *Venit nox, in qua nemo potest operari*, quæ de nocte damnationis à plerisque intelliguntur: sicque ad minus de impotentia morali ad opus bonum undequeque honestum in linea naturali. Unde D. Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 3. ait: *Omnes illi prævaricatores Angeli nec mala possunt unquam voluntate carere, nec poena. Et postea: Damnati nullam bonam habere poterunt voluntatem.*

271 II. quia Dæmoniis semper inest clara cognitio de amisso Deo in æternum, cruciatus quod perpetiuntur: de utroque summa tristitia, ardens desperatio, ex desperatione rabies, & impatientia, & ex his omnibus vehementissimum odium Dei, quem cogitant severissimum Judicem, & malorum suorum Auctorem; sed his omnibus stantibus, est moraliter impossibile, quod Dæmones quæcunque faciant, non faciant ex odio Dei & creaturarum; ergo est moraliter impossibile, quod Dæmones faciant aliquod opus, quod non sit vitiatum mala finis circumstantia, & consequenter undequeque honestum. Difficultas est de impotentia physica in Dæmoniis ad aliquod bonum in ordine naturali nulla circum-

rantia vitiatum. Graves Theologi ex una parte affirmant; ex alia non minus graves negant.

272 *Dicendum nobis*, quod Dæmones nihil possunt boni undequeque honesti operari. *Prob.* Quia status summæ miseriæ non potest admittere aliquod bonum; nam est collectio omnium malorum cum omnimoda exclusione bonorum; & major miseria est, quæ omne bonum excludit, quam ea, quæ compatitur cum aliquo bono; sed Dæmones sunt in statu summæ miseriæ: ergo sunt in statu, in quo non sunt capaces alicujus boni. Sed operatio undequeque honesta est quid bonum in genere moris: ergo Dæmones nihil boni possunt agere undequeque honesti.

273 *Ex quo sequitur*, quod Dæmones ratione statûs ex natura rei non possunt agere aliquid boni undequeque honesti; quia hoc ipso, quod Deus voluerit summa miseria punire, hoc ipso & decrevit negare illis concursum, aut annuentiam ad omne opus bonum; quia hoc est consequens, & naturale ad primum decretum, sicuti sententiâ Thomistarum, & aliorum, supposito in Eucharistia miraculo transubstantiationis, quasi naturaliter sequitur quod quantitas sustentet reliqua accidentia. Similiter licet in communi ordine rerum sit miraculosum, quod Deus denegat suum concursum, aut annuentiam causis secundis ad suas operationes; est tamen naturale, quod illa denegat causis secundis liberis constitutis irrevocabiliter in terminis summæ miseriæ; licet hoc non habeatur expressè in Scriptura, ut tacitæ objectioni Recentioris respondeamus.

274 *Dices tamen I.* Dæmones non solum sunt in statu peccati, sed & continuo contra Deum peccant: ergo habent libertatem ad non peccandum; cum sine libertate peccatum esse non possit: ergo & possunt operari aliquid boni; nam non operari malum est aliquod bonum, & voluntas non agendi malum est per se bona: ergo Dæmones aliquid boni possunt agere.

275 *Resp.* quod duplex est libertas, una *contradictionis*, & alia *contrarietatis*: libertas *contradictionis* est, qua possumus agere, aut non agere; libertas *contrarietatis* est, qua pos-

possumus operari bonum, aut malum: & ad peccandum sufficit libertas contradictionis, & non est necessaria libertas contrarietatis. Sicut enim Christus, & Beata Virgo sine libertate contrarietatis cum sola contradictionis potuere mereri: ita Dæmones cum sola libertate contradictionis possunt peccare peccato commissionis; quia possunt non odio habere Deum, non blasphemare, & alia hujusmodi; at verò peccatum omissionis committere non possunt, cum nequeant aliquid boni operari: atque addeò ratione status sunt deobligati à præceptis affirmativis. Voluntas autem non agendi malum (quæ fortasse potest esse in Dæmoniis) per se non est bona positivè, sed solum negativè, nisi ordinetur ad finem undequaque honestum: unde cum Dæmoniis sit impossibilis talis ordo, quippe *in inferno nullus est*, ut ait Job cap. 10. inde est, quod Dæmones, & damnati etsi possint peccare; nullum bonum opus possunt efficere.

276 *Dices II. Dæmones credunt, & contremiscunt*, ut ait Jacobus Apostolus in sua Epist. cap. 2. sed credere est actus fidei, qui est bonus: ergo in Dæmonibus est aliquis actus bonus. *Confirm.* Nam in damnatis, & Dæmoniis est pœnitentia juxta illud Sapientiæ cap. 5. *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes*; sed pœnitentia est opus bonum: ergo in damnatis, & Dæmoniis potest esse aliquod bonum opus.

277 *Resp.* quod Beatus Jacobus volens docere, quod fides sine operibus non proficit ad salutem, ait: *Tu credis, quoniam unus est Deus: benefacis; & Dæmones credunt, & contremiscunt.* Sed non dicit, quod Dæmones credunt, & benefaciunt, quia non credunt ex pia motione voluntatis; sed aut memores Divinæ revelationis, aut coacti evidentia signorum, & miraculorum: unde eorum fides non est actus virtutis, sed est sicut fides hæreticorum, quæ non est vera fides theologica, & supernaturalis; de quo latè Theologi Tract. de Fide.

278 *Ad confirm. resp.* quod Dæmones, & damnati pœnitent de peccatis; sed non ex amore Dei; pœnitentque ex proprio amore concupiscentiæ, quo se amant, non propter ma-

malitiam peccati, quæ Deo displicet, sed quatenus est causa eorum tormenti; & ideò eorum pœnitentia nec est bona, nec actus virtutis.

279 Sed an ex omni ordine Angelorum peccaverint Angeli? *Respondetur* rem esse incertam; verosimilius esse ex omni ordine Angelorum peccasse: nam Lucifer peccavit, qui etsi non fuerit supremus Angelorum; fuit tamen in excelso eorum gradu, ut communiter censent Theologi. Si ergo peccavit qui erat in superiori gradu; verisimile est & aliquos peccasse ex gradu inferiori. Cum autem Apostolus Dæmonum potentiam, & potestatem describat, tum 1. ad Corinth. cap. 15. v. 24. his verbis: *Deinde finis cum evacuaverit* (nempe Christus) *omnem principatum, & potestatem, & virtutem.* Tum ad Ephesios cap. 6. v. 12. his verbis: *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem; sed adversus Principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitia in cœlestibus.* Et ad Colossenses cap. 2. v. 15. *Expolians principatus, & potestates, triumphans illos in semetipso.* Tum 1. Petri cap. 3. v. 22. *Profectus* (nempe Christus) *in Cælum subiectis sibi Angelis, & Potestatibus, & Virtutibus.* Videtur Apostolus innuere, quod Dæmones, contra quos luctam habemus, & quos Christus devicit, & triumphavit, dicuntur *Principatus, Potestates, & Virtutes*, eo quod fuerint ex his ordinibus Angelorum; eo quod in inferno nulla sit ordinata Hierarchia: ac proinde videtur, quod ex omni ordine Angelorum aliqui peccarunt, ac in æternum in tartarum detrusi sunt.

ART. XXXVII. De Ordine, & Hierarchia Angelorum.

280 **A**ngelos, qui sunt cœlestes spiritus, diversis nominibus Sacra Scriptura nuncupat; atque adeò esse in illis diversos Ordines, Gradus, Classes, & Hierarchias Ecclesia, PP. & Theologi testantur, novemque esse Ordines fatentur: sic per illas distributi. Seraphim ex Isaia cap.

cap. 6. Cherubim ex Genesi cap. 3. & Ezechielis cap. 10. Throni, Dominationes, Principatus, & ex cap. 1. ad Colossenses. Virtutes ex cap. 1. ad Ephesios, Archangeli, & Angeli ex plurimis Sanctæ Scripturæ locis; licet in serie aliquatenus diversi sunt PP. Nam aliqui præponunt Virtutes, Dominationibus, & Potestatibus, alii eas postponunt. Theologi communissimè sequuntur ordinem præscriptum ab Auctore librorum de Cœlesti Hierarchia, nomine Dionysii Areopagitæ, Discipuli Sancti Pauli Apostoli; de his ab eo edocti. Verum cum plerique Catholici doctissimi S. Dionysio abnegent prædictos libros, eorum auctoritas apud nos nutat; atque adeò hoc tractatu consultò sub silentio misimus.

281 *Hierarchia* autem Gracè nihil est aliud, quam *Sacer Principatus*, atque *Hierarcha Sacrorum Princeps*. (omissis aliis significationibus, quæ in idem recidunt) Unde nihil est aliud, quam ordo plurium sub uno ad sacra peragenda, aut superioritas unius ad sacra peragenda respectu inferiorum: dicunturque ejus actus purgare, illuminare, & perficere, quæ omnia aptè, & rectè intelliguntur in Hierarchia Ecclesiæ Militantis; cæterum difficile est capere in Hierarchia Angelica. Omnes enim Angeli vident Deum clarè, & intuitivè, nihilque malitiæ, aut erroris purgandum habent, nec in perfectione charitatis proficere, quia jam sunt in termino: unde prima, & tertia ratio Hierarchiæ deficit in illis: & quantum ad illuminationem, solum videri potest quantum ad mysteria gratiæ in quantum unus Angelus alteri participat notitiam mysterii quantum ad substantiam, vel quantum ad modum: & hoc non sufficit ad rationem Hierarchiæ. Nam & Angelus inferior potest aliqualem notitiam participare Angelo superiori; etenim Archangelus Gabriel, cui specialissimè Dues revelavit, & demandavit, quæ ad Incarnationem fuere ordinata, cum sit de ordine Archangelorum, potuit superiori Angelo participare, ni id Deus prohibuisset: quapropter illuminatio non est peculiariter actus Hierarchiæ; nam etiam Christus *didicit ex his, quæ passus est*, ut docet Apost. ad Hebr. cap. 5.

282 Ex his censemus ordines, gradus, & Hierarchias Angelorum pensandas non esse ex differentia specifica naturali

li eorum; quidquid sit, singuli differant specie, ut tenent Thomistæ; sive sint in diversis speciebus, & sub unaque specie individua plura; sive omnes sint unius speciei; sed pensandas esse ex diversitate ministeriorum & officiorum in ordine ad salutem hominum: nam ut ait Apost. *Omnes sunt ad ministratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis* ad Hebræos cap. 1.

283 Theologi verò conati sunt singulis ordinibus explicare, quæ ministeria congruant, & quidam magno labore; Nos verò cum D. Hilario & Augustino fatemur ignorare. Hilarius enim Psalm. 129. ait: *Quis Angelorum, & Potestatum, & Dominationum, & Thronorum & Principatuum officia, rationesque percipiet?* Augustinus in Enchiridio cap. 58. *Quomodo se habeat beatissima illa & superna societas, quæ ibi sunt differentia personarum &c. dicant, qui possunt, si tamen possunt probare quod dicunt: ego me ista ignorare confiteor:* quod ergo Hilarius, & Augustinus ignorarunt, id mihi pudori non est confiteri.

ART. XXXVIII. An Angeli ad custodiam hominum mittantur?

284 **T**enendum Angelos, & Archangelos à Deo mitti in ministeria nostræ salutis, & unicuique hominum deputasse Angelum ad ejus custodiam, adversus oppugnationem Dæmonum, aliisque avertendis malis: quia sic tenet Ecclesia, & PP. edocent ex ore Christi dicentis de parvulis apud Matthæum cap. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Si enim singuli parvuli habent Angelum ad suæ custodiam; cum omnes homines fuerint parvuli, omnes habere, dum essent parvuli, Angelum ad sui custodiam: quæ porius egent in ulteriori ætate, ut pater; cum sint malitiæ capaces, & tentationibus Dæmonum magis obnoxii.

285 Ex his intulere Theologi, quod personæ superiores tam in ordine Ecclesiastico, quam sæculari duplicem habent Angelum Custodem: unum quæ persona privata, & alium

qua persona publica deputata plurimum regimini, & quod quæque Provincia, aut Regnum habet suum Angelum tutelarem ex cap. 10. Danielis: *Princeps Regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus*. Si enim Regnum Persarum tutelarem habebat Angelum, idem de Aliis regnis dici debet; quia par est ratio & fundamentum. Hinc aliqui pietate ducti putant particularibus Ecclesiis & Oratoriis deputatos Angelos tutelares propter eorum sanctitatem.

286 Quanquam certissima sit contra Calvinum doctrina de Custodia Angelorum; aliqua sunt incerta apud Patres. Nam aliqui docent, hominibus ab instanti animationis deputari Angelum tutelarem, quia ab eo instanti est homo; at cum sit in utero matris, alii putant, quod dum est in utero matris, ejus tutelam & curam gerit Angelus matris: perindeque solum à nativitate deputari eis Angelum Custodem. Aliqui etiam PP. censuere, quod solis justis & baptizatis designantur Angeli Custodes; quippe Christus de solis pueris Hebræis justificatis à peccato originali per remedium antiquæ legis dixit, quod Angelos suos haberent. Et aliqui etiam censuerunt: quod Angeli tutelares suos dientes deserunt, quando respuunt eorum officia & se toto corde Satanae se se tradunt. Hæc autem doctrina de Angelorum tutela fuit Judeis communis & Gentilibus, ut videre est apud Petavium lib. 2. de Angelis cap. 8. ubi videre est PP. quos pro nostra brevitate mittimus.

287 De Christo & B. Virgine Maria; dicendum quod Christus non habuit in vita mortali Angelum Custodem; quippe non erat ei necessarius ad avertenda animæ mala; nam erat impeccabilis, nec ad avertenda corporis mala; quia ea à se depellere erat in sua potestate: qua ratione ad Petrum dixit significans posse evitare mortem. *Possū rogare Patrem meum, ut exhibeat mihi plusquam duodecim legiones Angelorum*. Matth. cap. 26. atque adeo corporalia mala solum passus est, ea quæ ipse voluit. Deinde quia Christus homo est Filius Dei & Superior Angelis, nam ut ait Apost. ad Hebræos cap. 1. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim Angelorum dixit aliquando filius meus es tu &c.* Superior autem non suscipit

tutelam ab inferioribus, sed solum servitium. Unde completo jejuniis quadraginta dierum, accesserunt Angeli & ministraverunt Christo, tanquam servi & famuli; qua propter Angelum Custodem Christus non habuit, sed omnes promptos ad ejus servitium & famulatum.

288 De B. Virgine Maria *dicendum* itidem quod non habuit Angelum Custodem & tutelarem, licet Angelos habuerit ejus obsequio paratos : *Tum* quia Angelus tutelaris & Custos non erat ei necessarius ad propulsanda mala culpæ ; cum in primo instanti fuerit concepta in gratia, & in illa confirmata, ac proinde incapax peccandi : unde ad non peccandum non fuit ei necessarius Angelus Custos. *Tum* quia ad avertenda pericula corporis, ejusque mala non erat decens, quod B. Virgo staret sub clientela & custodia Angelorum : quippe decens non est Reginam sub clientela & Custodia subditorum ; at B. Virgo proclamatur ab Ecclesia & PP. *Regina Angelorum* : estque omnibus Angelis dignitate superior, ut pote vera Mater Dei : ergo erat indecens, quod staret sub tutela & custodia Angelorum ; ac proinde non habuit Angelum tutelarem specialiter deputatum ejus custodiæ.

289 Ac licet omnis homo habeat Angelum tutelarem ad sui custodiam ; ab his regulis generalibus excipienda est B. Virgo propter eminentem dignitatem , & sanctitatem : sicut excepta est à lege contrahendi peccatum originale communi filiis Adam. *Mibi igitur videtur* , quod B. Virgo fuit immediatè sub tutela Sanctissimæ Trinitatis , propter dignitatem maternitatis Dei & excellentissimæ gratiæ ; licet devinctos ejus obsequio habuerit omnes Angelos.

ART. XXXIX. *An ex omni ordine Angelorum Angeli mittantur propter hominum salutem?*

290 **T**heologi qui hucusque fecerunt sunt Auctorem librorum de Cælesti Hierarchia, communiter docent Angelos superioris ordinis ad homines non mitti, sed adstare Deo immediate in ejus obsequium devinctos; inferiorum autem ordinum ad homines mitti.

291 *Dicendum nobis cum gravissimis Theologis quod ex omni ordine Angelorum mittuntur Angeli propter hominum salutem. Prob. I.* nostra Sententia ex illo Apostoli cap. i. ad Hebræos loquens de Angelis ait: *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* Scopus enim Apostoli fuit monstrare Christum Jesum Filium Dei excellentiorem fuisse omnibus Angelis; tum quia nulli Angelorum dixit *Deus Filius meus es tu, & adorent eum omnes Angeli Dei*: ac Angelos vocat *Dei ministros*: & cum dixisset nulli Angelorum dictum: *Sede à dextris meis*: concludit excellentiam Christi præ Angelis, quia *hi sunt omnes administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Quapropter, sicut in verbis antecedentibus loquitur de omnibus Angelis, nulla exceptione facta: ita in verbis recensitis Apostoli intelligi debet de omnibus Angelis, nullo excepto, nec Seraphim, nec Cherubim. Ex quibus sic conficitur argumentum: omnes Angeli, quibus superior est Christus, à Deo mittuntur in ministerium salutis hominum; sed Christus est superior omnibus Angelis, etiam supremi ordinis: ergo omnes Angeli etiam supremi ordinis mittuntur ad salutem hominum. Et plures PP. Apostoli intellexerunt verba indistincte de omnibus Angelis.

291 *Prob. II.* quia Seraphim sunt in primo ordine Angelorum; sed unus Seraphim missus est ad purganda labia *Isaie*, ut constat ex ejus cap. 6. ergo etiam ex superiori ordine

dine Angeli mittuntur. Idem dicere Seraphim missum ad Isaiam non fuisse de verò ordine Seraphim est merum effugium; quia nullo alio Scriptura loco indicatur verus ordo Seraphim; proindeque Spiritus, qui labia Isaia purgavit, verus Seraphim fuit.

292. *Prob. III.* quia Cherubim est de secundo ordine Angelorum, & missus est ad custodiam Paradysi ex Genesi cap. 6. Atque septem Angeli qui sunt ante thronum Dei veteres PP. ex superioribus Angelis esse tenere; sed Raphael est unus ex eis, & missus est ad Tobiam, ut constat ex cap. 12. Tobia. *Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex Septem, qui adstant ante Dominum*: ergo etiam ex superioribus Angelis ad salutem hominum mittuntur: atque adeò Angeli adstantes non excluduntur à missione ad hominum salutem.

ART. XL. De potentia Angelorum in ordine ad corpora assumpta.

293. **R**estat ergo ad complementum hujus tractatus disquirere de potentia Angelorum in ordine ad corpora: & quod dictum fuerit de Angelorum potentia naturali, dicendum & est de Dæmoniis: quia per peccatum naturalia non perdidere: quanquam sint obstinati in illo, & naturalibus semper utantur in perniciem hominum: & in hoc, non quantum cupiunt, sed solum quantum permittuntur à Deo.

294. *Certum enim est I.* quod Angeli non possunt immutare ordinem hujus universi, & causas naturales universaliores; quia ut ait Apostolus ad Hebræos cap. 2. *Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ*: unde nihil possunt circa motum Cælorum, stellarum, solis & Lunæ, & reliquorum planetarum; temporum stationes, situmque terrarum, & marium. Quid autem in his possint dicemus postea. *Certum autem est* quod Angeli per se non possunt facere vera miracula: quia hoc est proprium Dei, qui est Auctor naturæ; & ideò potest operari & supra naturam, & contra naturam; licet Angelis Sanctis quandoque sint ministri Dei ad opera miraculosa:

atque adeò nec Demones possunt vera miracula efficere: & quæ facturus est Antichristus eorum ope, non erunt vera miracula; sed mera præstigia mira fallacia compacta.

295. *Queritur ergo*, an Angeli possint corpora assumere & quomodo? *Certum est* (ut jam probavimus,) quod Angeli sunt merè spiritus, omnino corporis expertes, substantiaque completa & perfecta in se: & *certum etiam est*, Angelos in veteri & novo Testamento hominibus apparuisse in forma humana, ut constat ex tribus Angelis, qui apparere Abraham Genesis cap. 18. & Leæ cap. 19. plurimisque aliis locis Sacra Scripturæ: & pro veteri Testamento sufficit apparitio Sancti Angeli Raphaelis ex libro Tobia. Ex novo Testamento constat ex Luca cap. 1. & 2. quod Angelus Gabriel apparuit in forma humana Zachariæ Sacerdoti patri Joannis Baptistæ, & B. Mariæ Virgini; & in resurrectione Christi in forma humana apparere, & missi sunt à Sanctis mulieribus: & ascendente Christo in Cælum apparere duo Angeli, qui forma humana conspecti sunt ab Apostolis & aliis, ut constat ex Actibus Apostolorum cap. 1. & pluribus aliis locis: unde de hoc non licet Catholico dubitare.

296. *Difficultas autem est*, quomodo corpora assumant & in eis appareant. *I. dicendum*, quod Angeli non assumunt corpora, in quibus apparent uniendo se eis hypostatice, & personaliter, sicuti persona Verbi Divini unita est hypostatice suæ humanitati. *Tum* quia unio hypostatica in Christo, est supernaturalis mirabilissima, & miraculosa; sed unio Angelorum ad corpora sumpta non est supernaturalis, nec mirabilissima, nec miraculosa: ergo unio Angelorum ad corpora, quæ assumunt, non est hypostatica. *Tum* quia Angelus est per se substantia completa, per se existens, & subsistens; sed substantia completa, per se existens, & subsistens non potest personaliter uniri alteri naturæ; nam, quod est completum non dicit ordinem ad aliud, & qui uniantur dicunt inter se ordinem: ergo Angelus non potest uniri hypostatice, & personaliter corpori assumpto, in quo appareret.

297. *II. dicendum*, quod Angelus non unitur corpori assumpto in quo apparer, illud informando tanquam forma

materia. *Prob.* quia quod unitur alteri tanquam forma materiae, unitur illi tanquam quid incompletum, & pars ad constituendum compositum; sed Angelus non potest uniri corpori assumpto, in quo apparet tanquam pars ad constituendum individuum completum; cum sit per se substantia individua completa: ergo non potest uniri corpori assumpto, in quo apparet, illud informando, aut tanquam forma illius.

298 *Restat ergo dicendum*, quod Angelus solum unitur corpori assumpto, in quo apparet, tanquam movens mobili, ad modum quo Angelus, aut Angeli moventes Caelos uniuntur corporibus Cœlestibus per immediationem contactus; quippe non est excogitabilis alius unionis modus.

299 Assumunt autem Angeli corpora ea formando ex aëre, portionibus igneis, & humidis, eis lineamentis, & figuris, atque coloribus, quæ prospectui apparent corpora naturalia, ostentantque in eis mollitiem, aut duriciem sensui tactus per vim, quam habent resistendi, aut non resistendi corporibus. Constat hoc ex facillima resolutione corporum in quibus Angeli apparere; quia quasi momento disparent, non relinquendo ex eis partem terream, aut aqueam, ut constat in Archangelo Raphaelē, cum in assumpto corpore disparuit.

300 *Ex his sequitur*, quod Angelus in corpore assumpto non potest exercere actiones vitales, quæ tales verè, & propriè sunt; & *natio est*, quia actus vitales sunt à principio intrinseco subjecti se moventis per eos; sed Angelus in corpore assumpto non est principium intrinsecum cum eo: quia solum est motor extrinsecus illius: ergo in corpore assumpto non potest exercere actiones vitales, quæ tales formaliter. His generatim dictis oportet observare, quod sunt aliquæ actiones vitales, quæ in motu consistunt, ut comedere, deambulare, aliaque his similia, quas quantum ad motum possunt Angeli exercere in corporibus assumptis, ut patet ex pluribus Scripturæ Sanctæ locis, & patet in Archangelo Raphaelē, qui Tobia cap. 12. num. 9. ait: *Videbar quidem vobiscum, manducare, & bibere; sed ego cibo invisibili, & potu utor.* Quibus verbis innuit se non verè comedisse, nec bibisse, sed solum apparenter.

Ex

301. *Ex his discas* Dæmones incubos se commiscere mulieribus, nunquam verè, & propriè posse generare; quia ex se nunquam possunt semen decidere humanæ generationi aptum. An autem semen ab homine deciduum possint brevissimo tempore deferre in uterum mulieris, ita ut ex eo generatio fieri possit; Medicis disputandum relinquimus: & casu, quo generatio fieri possit, genitum non erit filius Dæmonis; sed hominis illius, à quo semen deciduum est.

**ART. XLI. An Angeli possint corpora loca-
liter movere, aut detinere motum, &
impulsu corporum?**

302. **D**icendum, Angelos vi magna præditos esse ad movenda corpora de loco in locum, ut constat ex Danielis cap. 14. Etenim Angelus Domini transtulit Habacuc Prophetam ex Judæa Babylonem, ut deferret pulmentum Danieli existenti in lacu Leonum, & exinde retulit in Judæam. Et ex Actibus Apostolorum cap. 8. constat, quod Angelus Domini postquam baptizavit Philippum Eunuchum Candaces Reginae Æthiopum, eum transtulit in Azotum, & ex Marco cap. 14. constat quod Angelus substulit Lapidem à monumento, quo conditum fuerat corpus Domini nostri Jesu Christi, qui lapis erat magnus valde, ut docet Evangelista.

303. Sed quia dici potest hæc peracta per Angelos non solum propria virtute, sed cooperante Divina Omnipotentia; constat ipsidem Diabolos sagas verè, & propriè, & corporaliter transtulisse de loco proprio ad locum longe distantem brevissimo temporis interstitio, ut docent Deltio, Treus, Vinsfeldius, & alii, & quod potissimum est acta verissima Tribunalis Sanctæ Inquisitionis, in quo non potest dici, quod Divina Omnipotentia cooperabatur Dæmonis; quia Deus ad malum cooperari non potest: ergo Angeli Dæmonesque, quibus potiores Angeli sunt, possunt corpora movere de loco in locum.

304 *Certum tamen est* virtutem movendi corpora in Angelis non esse infinitam; quia eorum natura infinita non est: quanta autem sit, omnino incertum. Sunt qui asserunt Cœlorum molem ab uno Angelo moveri; sunt qui docent unumquodque Cœlum ab unoquoque Angelo moveri. Ex quo edici potest, quanta vis sit in Angelis ad corpora movenda, cujus dimensionem non est datum hominibus cognoscere.

305 Quæ diximus de vi Angelorum ad movenda corpora, *dicendum* & est de vi, & potentia ad obsistendum, detinendumque corporum motum; quia ad hoc non requiritur major potentia, quam ad movendum localiter corpora. Certum tamen est Angelos non posse detinere, & suspendere motum Cœlorum; quia hoc pertinet ad ordinem naturæ, quem invertere Angelus non potest. An autem naturaliter possint vim ventorum, & vim maris, ac tempestatum sedare, & detinere: non audeo resolvere, sed dubius hæreo.

ART. XLII. *An Angeli, Dæmonesque naturaliter possint infirmitatibus hominum, & animantium mederi?*

306 **D**icendum Angelos, Dæmonesque infirmitatibus hominum mederi posse, dum modo sint in statu, quo naturaliter curari possint. *Et ratio est*, quia infirmitas, quæ naturaliter curari potest, ea dicitur, ad cujus curationem sunt naturalia remedia; sed Angeli, & Dæmones noscunt naturalia remedia infirmitatum, eaque adhibere possunt: ergo naturaliter possunt hominum, cæterorumque animantium infirmitatibus mederi. *Conseq. tenet; Maj. est certa, & Min. constat ex his*, quæ Theologi communiter docent de cognitione Angelorum.

307 *Quæritur IV.* an Dæmones naturaliter possint hominibus, cæterisque animantibus inferre nocumentum?

308 *Præmittendum est*, quod licet aliqui putaverint singulis hominibus deputatum esse Dæmonem in ejus ruinam, & damnum, sicuti singulis hominibus deputatus est Angelus ad

ejus tutelam, & custodiam; hoc non habet fundamentum aliquod in Sacra Scriptura, aut concordii assensu PP. Nam licet id doceant Origenes, Nyssen, & Cassianus; id hauserit ex libro Pastoris, qui inter Apocryphos connumeratus est à Gelasio Papa in cap. *Sancta Romana Ecclesia*: refragantur communiter alii PP. *Deinde* quia Dæmon deputatus unicuique hominum ad inferendum ei damnum tam in anima, quam in corpore; vel esset deputatus à Deo, vel à Dæmoniorum Principe; non à Deo, quia hoc est contra ejus sanctitatem, ut ex se patet. *Deinde*, quia est alienissimum ab ejus voluntate, qua vult omnes homines salvos fieri, estque difforme ejus sacre benignitati designare insidiatorem continuum homini natura fragili, & infirmo, quanquam ad custodiam deputaverit Angelum: unde designatio Dæmonum ad tentandum homines, & mala eis inferenda non potest esse à Deo. Quod autem talis deputatio sit à Principe Dæmoniorum, nullo fundamento adstruitur, ut diximus: unde talis sententia respondenda omnino.

309 *Ulterius notandum*, quod solum possint nocere hominibus, quantum permiserit Deus: nam si potestate pro voluntate uti possent ex implacabili odio ad genus humanum, ipsum penitus delerent, ne aliquis hominum salvus fieret, ut aliqui censent; licet alii opinentur contrarium ex desiderio, quod habent, quod plures numero damnentur; sed quidquid de hoc sit:

310 *Dicendum*, quod Deo permittente, possunt Dæmones hominibus inferre damnum in vita, salute, & bonis fortunæ. De vita constat: nam una ex plagis Ægypti fuit mors Primogenitorum; sed hæc sicuti aliæ, facta est per Dæmones, ut ait David Psalm. 77. vers. 51. *Immissione per Angelos malos*, ut communius docent Interpretes; & mors filiorum S. Job ejusque domus ruina peracta est à Dæmone: Dæmonque occidit septem viros, quibus nupsit Sara filia Raguelis, Tob. cap. 3. ergo Dæmones possunt, Deo permittente, hominibus damnum vitæ inferre.

311 De salute constat in ipso S. Job, quem Dæmon percussit ulcere pessimo: & constat ex his, qui maleficia patiuntur, & de Maleficis plura habentur tam in jure Canonico, quam

quàm Civili. De bonis fortunæ constat etiam in eodem S. Job, cujus plurima bona Dæmon dissipavit, & perdidit: fitque etiam id certum ex Exorcismis Ecclesiæ in Dæmones, qui concitatis tempestatibus, frugibus nocere intendunt; unde fit innegabile Dæmones, Deo permittente, posse inferre nocumentum hominibus in vita, salute, aut bonis fortunæ.

ART. XLIII. *Quid possint Angeli, & Dæmones in potentiis interioribus hominis, intellectu scilicet & voluntate?*

312 **C**ERTUM omnino est Angelos, & Dæmones turbare posse sensus exteriores, tum ex parte objecti illud imitando, *Ex. Gr.* hominem imitando in exteriori apparentia, brutum, serpentem, & pleræque alia corporea. Tum ex parte organi turbando naturales dispositiones, ad modum quo turbatae reperiuntur in amentibus, phreneticis, maniacis, & fatuis; & per consequens turbare phantasiam, movendo humores, & species: & hoc modo censent plerique turbatam phantasiam Nabuchodonosor, dum se reputabat bestiam.

313 *Difficultas autem est* de operatione, & motione intellectus, & voluntatis. *In quo dicendum*, quod Angeli, & Dæmones possunt movere objectivè intellectum, & voluntatem; effectivè tamen nihil in illis possunt agere. Hæc sententia non eget alia probatione, quam ejus explicatione. Nam movere objectivè intellectum, & voluntatem nihil aliud est, quam posse movere species objecti intellectus, & species objecti voluntatis mediis, quibus movetur intellectus ad intellectionem, & voluntas allicitur ad volitionem: nam his speciebus movetur appetitus sensitivus, & appetitu sensitivo voluntas movetur extrinsecè, & liberè: cumque hæ species resideant in phantasmate, & eas possint movere Angeli, & Dæmones; inde est, quod objectivè extrinsecè possint movere intellectum, & voluntatem.

314 Quod autem intrinsecè, & effectivè non possint An-

geli, & Dæmones aliquid operari in intellectu, aut voluntate hominis, facillimè probatur. Nam non possunt aliquid operari in intellectu, aut voluntate hominis, nisi determinando prædictas potentias ad operationes, vel concurrendo cum prædictis potentiis ad eas tanquam comprincipium; at neutrum possunt Angeli, nec Dæmones: ergo in intellectu, aut voluntate hominis nihil possunt operari. *Prob. Min.* quoad partem intellectûs. Quia assensus intellectûs aut est necessarius, aut liber: si necessarius, solum determinatur ab evidentia objecti, & consequenter non potest necessariò determinari ab Angelo, aut Dæmone. Si autem liber, supponit imperium liberum voluntatis, in qua nihil possunt operari nec Angeli, nec Dæmones, ut mox dicemus: ergo non possunt determinativè operari aliquid in intellectu hominis. Deinde non possunt concurrere Angeli, aut Dæmones tanquam comprincipium ad intellectum: quia ad hoc erat necessarium, quod unirentur cum intellectu hominis ad modum quo unitur cum eo lumen gloriæ ad visionem Dei; sed Angeli, aut Dæmones non possunt habere realem unionem cum intellectu hominis: alias possent habere realem unionem cum anima, à qua non differt realiter intellectus: ergo nec Angeli, nec Dæmones possunt uniri realiter tanquam comprincipium cum intellectu hominis ad actum intellectiōis.

315 Eisdem rationibus evincitur Angelos, aut Dæmones nihil posse operari in hominis voluntate, nec tanquam determinans illam: cum suapte natura sit libera, & à nulla creatura possit determinari, aut auferre ab ea jura libertatis, nec tanquam comprincipium præfata ratione; quippe etiam voluntas est idem realiter cum anima.

316 *Uterius.* Quia Angelus non potest operari, ubi realiter non potest existere; sed Angelus non potest existere in intellectu, aut voluntate hominis: ergo in illis nihil potest operari. *Maj. est certa, & Min. prob.* Quia hominis intellectus, & voluntas realiter ab anima non differunt; sed Angelus non potest intrinsecè existere in anima hominis, ut patet: eo quod non possit existere in illa, nec tanquam substantia completa, nec tanquam substantia incompleta: ergo Angelus non potest intrinsecè existere in intellectu, aut vo-

lun-

luntate hominis : & consequenter nihil in illis potest operari.

317 *Dicitur autem* in Sacra Scriptura , quod Diabolus intrat in cor peccatoris , in quantum suis suggestionibus trahit peccatorem ad peccatum , ipso volente suggestionibus consentire , ut dicitur de Juda Iscariote Luc. cap. 22. v. 3.

318 *Tandem queritur* , an inter Dæmones sit prælatio , & principatus ? Non loquimur de excellentia naturali , seu naturæ perfectione . Nam sicut Dæmones per peccatum non perdidere naturam ; ita nec perdidere perfectiones naturales , quæ ad eam consequuntur ; atque adeo excessus , & excellentia in eis quantum ad naturalia , illa ipsa est , quam habuere in eorum creatione . Loquimur ergo de excellentia , & principatu in ordine ad imperium , & gubernationem per respectum ad depravatum finem omnium illorum , ad modum quo in qualibet Republica benè ordinata , est qui cæteris præest , eos gubernat , cuique omnes parere tenentur .

319 Inter Hebræos , Scribæ , & Pharisei credebant , inter Dæmones Beelzebub Principem esse Dæmoniorum ; atque adeo miracula Christi calumniantes , dicebant , quod virtute Beelzebub ejiciebat Dæmonia . Lucæ cap. 11. Ex quo loco nobis non constat de principatu inter Dæmones , eo quod Sanctus Lucas id solum refert , tanquam dictum Scribarum , & Phariseorum . Talem principatum moralem , & quasi politicum agnovere aliqui PP. & plures Theologorum : quia Christus præsertim Joannis cap. 12. & cap. 14. ex Diabolis nominat Principem hujus mundi : *Et Princeps hujus mundi in me non habet quidquam* : & aliis locis nominatur Diabolus cum Angelis suis per subjectionem . Cæterum qualiter Damon A , *Ex. Gr.* acquisierit principatum supra cæteros , non est discursum à Theologis : quia potest dici acquisivisse communi Dæmoniorum suffragio , & electione ; dicique tyrannidè & potentia , sicut Nembrot , potestque aliquis censere collatum à Deo in pœnam superbiæ reliquorum Dæmonum : de quo nihil firmum habeo dicere ex Scriptura , & PP. sicuti de vi coactiva respectu subditorum .

Et hæc ad Dei gloriam de Tractatu
Angelorum.

DISPUTATIO V.

DE MUNDI OPIFICIO,
seu de opere sex dierum.

1 **E** Docturus Moyses Hebræam gentem sub servitute Ægyptiorum laborantem, assuetamque circumspicere eorum Idololatriam & superstitiones, quis sit Deus, quoque modo hunc visibilem universum condiderit; una propositione Gentium, & Hereticorum errores proscrispsit. Genesim enim incipiens ait: *In principio creavit Deus Cælum & terram.* In principio: errorem damnat eorum, qui mundum æternum censuere, in quibus fuit Aristoteles Peripateticorum princeps: incepit enim esse, cum ante non esset. *Creavit*, produxit, fecit ex nihilo Cælum & terram, quod propriissime significatur per verbum *creare*, quod est producere nulla præsupposita materia: quo verbo profigitur error Pythagoricorum, Stoicorum & aliorum Philosophorum, qui censabant materiam esse principium æternum, ex quo prima causa cætera produxit, suffarcinati communi effato: *Ex nihilo nihil fit*: eorumque, qui ex Chao credebant mundum productum, putabant enim Chaos immensam congeriem confusam materiæ & formarum: atque eorum, qui ex atomis mundum constituisse opinati sunt.

2 *Deus*: hac voce evicit cæcitatem eorum, qui plures Deos adorabant: cum nisi unicus, esse non possit. Itidem dementiam Marcionis & Manichæorum, qui docebant esse unum Deum principium bonorum, & alium malorum auctorem. Insuper errorem Simonis Magi, Menandri, Saturnini, Basilidis & aliorum hæreticorum, qui asserbant mundum aut ab Angelis factum, aut fuisse ministros ad ejus productionem. Etenim licet vox *Eloin* apud plures legatur in plurali, singulare verbi *creavit*, docet clarè legendum in singulari, ut docent edocti lingua Hebraica.

3 Pro dicendis tamen plurimum interest notare, Moysem
sem

sem pro instruenda Hebraica gente de mundi principio ejus Auctore & progenitorum serie, non usum metaphoris, figuris, aut verborum ambagibus; sed verbis in propria & communi acceptione: quippe Hebræi experti Idololatriam Ægyptiorum, & sine usu exterioris cultûs Dei, tunc erant rudes ad Divina capienda; atque adeò necessarium uti communi proprietate verborum, ut eorum claritate facilius possent doctrinam capere & percipere. Hoc supposito instituti nostri non est accuratam exegesis verborum Genesis agere, sed solum de operibus factis sex diebus.

ART. I. *Quid voce cæli intelligendum venit in præmissis Geneseos verbis?*

4 **D**Isquirunt Philosophi quot sint Cæli: & ultra Empyræum, de quo nobis ex fide constat, communius docent esse decem; plures tamen tenent Cælum non esse, nisi unum corpus fluidum, in quo altra & stellæ peragunt motus suos, ad modum, quo pisces in mari moventur. Certumque est nomine *Cæli* in S. Scriptura sapissime aërem intelligi, ut constat ex illo. *Volucres Cæli & pisces maris.* Psalm. 8. v. 9. & alibi pluries: & Apost. de se ipso loquens fateretur, quod raptus est usque ad tertium Cælum: unde constat tres saltem esse Cælos, Aëreum, Æthereum, & Empyræum, ex 2. ad Corinth. cap. 12. n. 2. de quo consuli possunt Apostoli Commentatores.

5 Igitur hac in re Augustinus lib. 12. Conf. cap. 7. per Cælum primo creatum Angelos intelligit; at pace tanti Doctoris, cum Moyses ageret Historicum rudibus & indoctis Hebraeis, aberraret ipso in limine, si Cælum in sensu metaphorico acciperet pro Angelis: cum Cælum in omni lingua habeat propriam & notissimam significationem, sitque omnibus hominibus aspectabile.

6 Alii tenent nomine *Cæli* solum *Empyræum* intelligi à Moyse. I. Quia cæteri Cæli creati, aut producti sunt die secundo, ut constat ex coherencia narrationis prædicti diei: ergo solum loquitur Moyses de Cælo Empyræo. II. Quia S.
Cle.

Clemens Rom. lib. 1. Recognitionum ait : se id accepisse ex ore B. Petri Apostoli. Hæc sententia placuit plurimis & doctissimis, quos sequitur & congerit Corn. à Lapide Coment. in Genesim, & post eum alii. Supponitque creationem terræ simul cum Cælo Empyræo, terramque aquarum abyssu circumdatam, cujus immensa magnitudo erat contigua Cælo Empyræo, ac ex ejus materia formatos esse Cælos, in quibus posuit Deus quarto die solem, lunam & stellas, æris regionem : quo evitat vacuum in prima rerum creatione.

7 Hæc autem sententia nobis non aridet. *I.* quia scopus Moyfi hac in narratione fuit Hebræos docere principium hujus mundi, seu universi aspectabilis & visibilis : at Empyræum est res à sensibus remota, minus accommodata captui rudis gentis, & sola fide credibilis, cum sola ratione naturali demonstrari non possit, ut docent qui de eo tractarunt : ergo prædicta Geneseos enarratione non est loquutus Moyfes de Cælo Empyræo. *II.* quia Moyfes insinuata creatione aquarum simul cum terra, per illa verba : *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi : & Spiritus Domini ferebatur super aquas* : docet quod Spiritus Domini erat super aquas sive illas movendo, seu motus ab illis, quod ad literam solum potest intelligi de aëre, qui in Scriptura sæpe spiritus appellatur : ergo inter aquas & Cælum Empyræum erat interstitium æris, & non illa immensa aquarum congeries contigua Cælo Empyræo.

8 Nec censemus alicujus momenti, quæ ei videntur suffragari : non *I.* quia agentes de opere secundi diei monstrabimus Moyfis verba, quo modo intelligi debeant ; & non insinuare formationem Cælorum ex aquæ materia. Non *II.* quia libri recognitionum sub nomine S. Clementis nullam merentur fidem, de quo videndus Joannes Baptista Cotelle-rius Dupin & alii.

9 *Dicendum ergo* Moysem nomine Cæli significasse corpus illud superius aspectabile oculis nostris, in quo sunt astra & stellæ, sive sint in eo plures sphaeræ, sive solum unum corpus fluidum. *I.* quia Moyfes docere voluit Hebræos expresse, quod Deus erat auctor, causaque efficiens omnium rerum, quæ sub aspectu hominum cadunt : at sub aspectu ho-

ho-

hominum maxime cadit Cælum, siue unum sit, siue plures: ergo esto sint plures, eos comprehendit nomine Cœli, *11.* quia in S. Scriptura Cœli in numero plurali sæpissime conjunguntur cum creatione terræ, ad quod sufficit illud Apost. ad Hebræos cap. 1. v. 10. *Et tu Domine in principio terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt Cœli:* ergo in principio quando Deus terram fundavit, seu creavit, fecit & creavit etiam Cœlos.

10. Nomine autem terræ Moysen intellexisse materiam, ex qua cætera corpora formata sunt, docuit S. Augustinus, ut plerique referunt; cæterum ex versu sequenti. *Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas:* facile inferitur indicasse globum terraqueum cum aëre circum ambiente: qui intelligendi modus aptior & congruentior Moysis enarrationi.

11. Sed quæres, an locus inferni conditus sit simul cum terra? *Dicendum* locum inferni damnatis in æternum destinatum simul cum terra conditum fuisse: quippe Angeli simul cum Cœlo & terra creati sunt, & creati in gratia primo instanti: & qui peccarunt, peccarunt in secundo instanti: & in tertio, aut quarto (propter eos qui asserunt datum eis spatium pœnitentiæ) detrusi sunt in infernum, ut constet ex tract. de Angelis: ergo ante creationem lucis & primum creationis diem, conditus erat cum terra infernus. *Uterius:* quia sicut omnium sententiâ primo creatum est Cælum Empyræum domicilium beatorum: ita fuit conveniens, ut primo die pararetur improbis perpetuus carcer, ut sic eluceret bonitas & justitia Dei in ipso mundi exordio.

ART. II. Quod sit opus primi diei?

12. **T**enebræ nihil positivum sunt, sed sunt pura carentia lucis: quæ per aliquod spatium præcessere lucis creationem; quapropter prefato Genesis loco dicitur: *Et tenebræ erant super faciem abyssi:* unde corpora primo creata sine luce fuerunt, & obscuritate offusa. Post

illud spatium, quod dinumerari à nobis nequit, creata est lux, quæ fuit opus primi diei. *Dixit Deus fiat lux, & facta est lux*: dixit non verbo aut sono corporali; sed imperio & voluntate, quæ est ejus omnipotentia.

13 D. Augustinus lib. 11. de Civitate Dei cap. 19. & 20. lib. 1. de Genesi ad literam, cap. 3. & aliis locis docuit lucem primo die creatam, fuisse naturam Angelicam: *I.* quia Angeli creati sunt ante alias creaturas, & non sunt creati quando creavit Cælum & terram; quippe nullam memoriam eorum fecit Moyses: ergo creati sunt primo die, ac sub lucis nomine. *II.* quia Angeli in sacris literis lux nuncupantur; quippe illuminant homines, perlucidamque habent mentem: ergo nomine lucis primo die creata Angeli veniunt intelligendi.

14 Hæ tamen Augustini sententia à Theologis & Sacra Scripturæ interpretibus communiter respuitur. *I.* quia verba Sacra Scripturæ in proprio & rigoroso sensu sunt accipienda, quoties nullum sequitur inconveniens; at hæc vox *lux* in riguroso, proprio, & historico sensu habet suam significationem, & solum in allegorico significat Angelos, ad modum quo Apostoli dicuntur *lux mundi*: ergo nomine lucis primo die creata non possunt intelligi Angeli: cum nullum sequatur inconveniens ex hoc quod intelligatur in proprio, & historico sensu. *II.* quia lux primo die creata effecit tres primos dies sensibiles orbis creati, ut constat ex prædicto Genesis capite; at hoc verificari nequit de Angelis: ergo de illis intelligi nequit lux primo die creata.

15 Damascenus lib. 2. de Fide cap. 7. tenuit, lucem primo die creatam, fuisse elementum ignis & lucem illius. Hæc etiam sententia displicet: quia si datur elementum ignis, à philosophis collocatur supra regionem aëris, & contiguum sphaeræ lunæ; ac proinde, circumiens totam regionem aëris: ergo & lux illius totam sphaeram aëris illuminaret: quia aër undique est circumseptus elemento ignis; at hoc est contra Scripturam Sanctam docentem fuisse his tribus diebus creationis diem & noctem: ergo lux primo die creata, non fuit elementum ignis, nec lux ab eo procedens; missa quaestione philosophica de elemento ignis.

16 Alii tenere lucem primo die creatam, fuisse eandemmet Solis lucem eadem perfectione, qua modò existit: quia dicitur valde bona, atque adeò est ipsissima lux solis, & non imperfecta; ut aliqui voluere; sed ipsa lux solis cum sua perfectione. Iste tamen dicendi modus communiter displicet. *I.* quia videtur contrarius Ecclesiæ menti, quæ in hymno ad Vesperas Feriæ Quartæ canit: *Quarto die qui flammam dum solis accendis rotam:* si ergo quarto die accendit Deus flammam solis; lux primo creata die, non fuit lux, quæ illuxit cum ipso sole. *II.* quia si lux primo die creata fuisset eademmet lux solis; sol non esset productivus lucis, ut dicemus agentes de opere quarti diei; sed hoc asseri nequit: ergo lux primo die creata, non fuit lux, qua sol cœpit illuminare mundum. Ex his explosa manet eorum sententia, quæ asserit lucem primo creatam die, fuisse nubem lucidam: quia verba Scripturæ intelligenda veniant in sensu proprio; nubem autem accipere pro luce, est omnino improprium; & nubis est meteorum ex vaporibus terræ, quæ tunc erat omnino aquis circumfusa.

17 Dicendum ergo quod lux primo die creata, fuit lux omnino similis luci huic solis, qua oculis nostris manifestantur hujus universi corpora, quantum ad figuram, dimensionem, colorem, & motum &c. quia hic est proprius & genuinus sensus Scripturæ Sacræ verborum; nec ullum sequitur inconveniens ex illis sic intellectis. Hæc autem lux non fuit quid corporeum in se, sicuti nec corpus est lux, qua modò corporalia conspiciamus, uti censent novi Philosophi; quæ omnia in hoc universo putant corporalia, exceptis Angelis & anima rationali. *I.* quia id, quod penetrat corpus, corpus esse nequit: eo quod duo corpora penetrari non possunt naturaliter, secundum Philosophiam, & maxime Christianam; sed lux penetrat totum corpus regionis aëris, & penetrat crystallum, uti experientia docet: ergo lux nequit esse corpus. Nec valet dicere uti communiter dicitur: aërem & crystallum, hisque similia poros habere infinitos, & per eos lucem transmeare. *Non, inquam, id valet dicere:* quia aër & crystallus omni ex parte lucida apparet: ergo lux omnes partes corporis penetrat: ergo corpus non est. *Ulterius:* quia si

lux esset corpus, cresceret corpus illam recipiens; nam corpus corpori junctum facit majus: incrementum enim quantitatis non alio modo concipi potest: sicuti enim unitas addita unitati facit numerum, & alia unitate addita facit numerum majorem: ita in sententiâ, quod continuum constat ex indivisibilibus, quæ est horum Philosophorum; indivisibile additum indivisibili facit corpus; & tanto fit majus, quanto plura indivisibilia adduntur: ergo corpus lucis capax, cum constet indivisibilibus, per additionem indivisibilium lucis necessariò resularet majus: cujus contrarium experientia edocet.

18 Denique aula illuminata à sole clausis fenestris, statim tenebris est offusa (experientia teste) vel ibi ergo manent corpuscula lucis; vel non remanent; si remanent corpuscula lucis, non erit tenebrosus aër; quia aër non est alio modo lucidum, quam per corpuscula lucis: si non remanent, annihilantur: quod est contra mentem horum Philosophorum, cum nihil corporeum annihiletur, sed solum resolvitur. Manet ergo inconcussus, quod lux primo die creata, fuit ejusdem modi, ac lux quæ modo corporalia videmus.

19 *Factumque est vespere & mane dies unus*, lux itaque creata cœpit illuminare aërem & hemisphærium aquæ & terræ, tenebris offuso alio hemisphærio: quæ circum acta est ab eo meridiano terræ, ad cujus respectum creata est: & quia cœpit circum agi declinando ab eo meridiano, ideo dicitur quod *factum est vespere & mane dies unus*; vel si supponas non fuisse meridianum Solis, qui tunc non erat, eo quod formatus non sit; dicendum ab Angelo circumductam illam lucem eo modo, quo illam Sol ipse circumduxisset, quod in idem recidit.

20 In quo autem meridiano cœperit? offusa ignorantia latefcit. Plærique edocent fuisse meridianum Palæstinæ, seu Terræ Sanctæ; eo quod Moyses præcipue sermonem de ea texuerit; sed hæc conjectura vana: quia Moyses Genesis Librum non scripsit in Terra Sancta; cum eam nunquam presserit pede; sed aut in deserto, quando pascebat oves soceri sui Jerro, aut quando per deserta populum exeuntem ex Ægypto ad Terram promissam ducebat: unde sciri non

potest, de quo determinatè meridiano sic loquuntur.

21 Lux autem, quæ illuminavit hemisphærium terræ, & aqua, etiam illuminavit hemisphærium aëreum & caeleste; videturque lucem illam utrumque hemisphærium successively percurrisse, quousque pervenit ad idem meridianum spatio viginti quatuor horarum. A quo autem lux illa circumacta est, an ab Angelo, aut à Deo, nihil certi dicere possumus.

ART. III. Quod fuerit opus secundæ diei?

22 **M**Oyses de eo loquens sic ait: *Dixit quoque Deus fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis: & fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum: & factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum Cælum: & factum est vespere & mane, dies secundus.* In quibus verbis explicandis Theologi, & Interpretes desudant, quia quæstio summe difficilis.

23 *Supponendum ergo* in principio creasse Deum & terram, & corpora intermedia ad Cælum usque Empyræum, aquam scilicet, & aërem: unde dicitur, quod *Spiritus ferebatur super aquas*, ac proinde dici nequit quod aquæ occupabant spatium illud à terra usque ad Empyræum, cum super aquam fuerit aër: unde aut dici debet aërem occupasse spatium à superficie aquæ usque ad Cælum Empyræum, vel quod à superficie aëris ad Cælum Empyræum illud spatium occupavit aliud corpus, aliave corpora, quæ à nobis dicuntur *caelestia*: quippe non videtur rationi consonum, quod fuerit vacuum, quod natura à Deo edocta abhorret.

24 *Ulterius supponendum* opus hujus diei fuisse *firmamentum*, cui voci Hebraica respondet *Rachia*, quæ significat juxta Hebraicæ linguæ edoctos: *soliditatem, firmitatem, expansionem & extensionem*; ad modum quo faber mallei ictibus in incude extendit argenti, aut cupri laminam, factumque firmamentum aquarum divisione. Exhinc diversitas opinionum exorta, & quia Deus hoc firmamentum Cælum vocavit.

25 Aliqui consueverunt, quod congeries aëris in prima
crea-



creatione pertingebat ad spheram concavam Cœli Empyræi, quam ex aqua primo die creata Deus consolidavit superiori ex parte, & quasi extendit, divisitque in diversas sphas, in quibus ponendi erant Sol, Luna, & Stellæ; ac proinde corpus illud aëreum aqua consolidatum dici *firmamentum*, & consequenter totum Cœlum: sicque factam aquarum divisionem, ac in prima creatione Cœli & terræ vacuum non fuisse.

26 Excogitatio hæc primo aspectu non irridenda. Nam si dicatur contra eam. *I.* quod cœli primum creati sunt cum terra; dici potest, quod solum Cœlum Empyræum creatum est cum sua perfectione cum terra; ceteri autem quantum ad materiam creati sunt primo die: quippe aër & aqua ex qua formati sunt, primo die creata sunt; at quantum ad formam, secundo die producti. Si dicatur *II.* omnes aquas die primo creatas sufficientes non esse ad consolidandum vastissimum Cœlorum spatium; dici potest quod aquarum globus à principio maximus fuit; tamen licet comparatus Cœlorum vastitati sit exiguus; tamen sicut modicum fermentum sufficit ad condiendam grandem farinæ copiam, aut massam: ita pars aquæ licet exigua, sufficiens fuit ad consolidandam magnam partem Cœli. Si vero dicatur, quod aqua est elementum fluidum, minimeque consolidationi aptum; responderi potest, quod sicut crystallum ex aqua consolidatur, atque ex humore aqueo lapides pretiosi consolidantur: ita aquâ mirabili modo sunt facti solidi Cœli, uti mirabili modo consolidati sunt lapides pretiosi.

27 At licet hæc ingeniose sint excogitata; his tamen obstat, quod aquæ superiores, phrasi Scripturæ, dicuntur esse super Cœlos: *Et aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt, laudent nomen Domini*; aqua autem commixta corpori cœlesti, non potest dici esse super corpus cœleste, uti vinum permixtum aquæ non potest dici esse super aquam, nec fermentum injectum in massam esse supra massam; sed solum dici potest quod vinum est in aqua, & in massa fermentum.

28 Alii præcipuo duce Augustino lib. 2. de Genesi ad litteram cap. 5. docent Deum hac die separasse portionem aquarum, eamque collocasse supra Cœlum sydereum: qua ratione

ne dixit David Psalm. 148. *Aquæ omnes, quæ super Cælos sunt, laudent nomen Domini*: atque adeo veras aquas esse supra Cælos.

29 Si autem ab his auctoribus *queratur*: quo fine has aquas collocaverit Deus supra Cælum sydereum: *Dicunt* jam Augustinum responsum prævenisse: nam licet nos lateat finis, prævalere debet apud nos literæ sensus imbecillitati capacitatis humana. Sed cum alia ex parte teneamur rationem reddere ejus, quæ in nobis est fidei; hujus sententiæ Auctores aliquas exhibuere causas.

30 Theodoretus, ac Beda censent, Deum aquas collocasse super Cælum sydereum ad temperandum astrorum ardorem, ne illo dissolveretur de ordo compago Cæli & terræ. *Sed Contra stat. I.* Quia hæc solutio supponit astra esse igneæ naturæ, quod negat Aristoteles. *II.* Quia sic perpetua esset pugna inter aquas & astrorum ignem, quod dici non debet. *III.* Quia illæ aquæ longissimè distarent à terra, ad quam majorem proximitatem habent astra: ergo ratione majoris propinquitatis adhuc dissolverent terræ compagem. *IV.* Quia Deus, *qui fecit Cælos in intellectu*, non potest dici communicasse astris tantum ardorem, qui egeret aquis temperari; sed solum eum, qui conveniens erat influxui in inferiora: Deus enim & natura nihil faciunt frustra: perindeque frustra esset ardor in astris aquis temperandus.

31 Si autem dicatur Deum aquas posuisse ad temperandum primum mobile eclerrime rotationibus agitarum, hoc est, ponere decimum Cælum ejusdem conditionis, & naturæ cum corporibus solidis sublunaribus, quæ mutua attritione calefcunt, uti experientia docet in curribus & carpentis, quorum axes rotatione continua calefcunt & ardent: quod est contra communem sensum; nam cælum est inalterabile. Videturque cogitationem hanc alludere Gentilium credulitati Solem curru in Oceanum demergi, ut ardentes temperaret rotas.

32 Alii censuere, aquas supra Cælum sydereum collocatas à Deo, ne præ levitate orbis coelestes sursum ferrentur; sicque aquas illos in ordine continere. At ex ista levitate sequeretur, quod orbis coelestes aquis inferiores motum sursum

sum appetentes, jam sint inter se confusi, ad modum quo aquarum rivuli miscentur cum aquis fluminis magni, cum illud intrant; vel si non miscentur, appetitus sursum se elevandi semper erit detentus: quod non congruit Auctori naturæ. Nam dare appetitum ad id, quod nunquam ponendum est in actu, non est concedendum agenti rationali, minusque Deo sapientissimo Auctori naturæ.

33 Oleaster, & alii asseruere Deum aquas illas supra Cœlos collocasse, quasi in reservatorio, ut tempore diluvii disfluere super terram. *Sed contra stat I.* Quia si Cœli sunt solidi, uti tenet communior opinio, oportuit, ut descenderent aquæ, quod aut discinderentur Cœli, aut penetrarentur cum ipso. Hoc secundum sine miraculo non fit, nec primum; quippe discindi contra propriam naturam miraculosum est, ut contigit Mari Rubro, quando filii Israel sicco pede illud transire: unde unum ex his miraculis necesse est adstruere prædictos Auctores; eoque etiam opus fuit ad reducendas eas ad pristinum locum.

34 *Ex quo stat II.* Quia ex illa mole aquarum ad inundandam terram, vel tota descendit, vel solum aliqua pars: si tota descendit, earum locus remansit vacuus, quod dici non potest; quippe natura, & ejus auctor vacuum abhorret, semperque gaudet contiguitate corporum: si verò solum decidit pars, alia pars ibi relicta non deservit ad inundationem terræ: ergo aquis remanentibus in Cœlo, alius finis debet consignari, cum istæ non sint supra Cœlum collocatæ ad universale diluvium.

35 *Ulterius III.* Quia si Deus collocasset aquas supra Cœlum sydereum ad inundandum orbem terræ; non collocasset, nisi eas, quæ huic fini essent sufficientes; cum Deus & natura nihil faciant frustra: ergo Deus non collocavit supra Cœlos, nisi aquas sufficientes ad hunc finem diluvii: atque adeò omnes decidere, & earum nullæ superfuere, relictusque est vacuus locus illarum.

36 Quid iterum dicendum de eis post diluvium? Si enim denuo collocatæ in pristinum locum; hoc aut fuit discissione Cœlorum, aut eorum penetratione: primum est contra eorum soliditatem, & secundum est miraculosum. *Deinde quo*
fine

finē sunt aquæ detentæ quatuor millibus annorum à diluvio usque ad annum millesimum septingentesimum vigesimum octavum : nam finis mundi non erit per aquam , id attestante Deo per juramentum Patriarchæ Noë , sed per ignem : unde patet hunc dicendi modum implexum esse pluribus difficultatibus , quæ vix solvi possunt.

37 Cornelius à Lapide , & alii tres causas assignant collocationis aquarum supra Cœlos : *prima* ibi positas ad ornatum universi : *secunda* , ut extaret monumentum , quod Cœli ex aqua producti sunt ; ac *tertia* positas esse ad voluptatem beatorum ; sed hæ causæ frigescunt. I. Quia non potest concipi esse ad ornatum universi , quod nec perspicitur ab hominibus , nec habet exercitium aliquod in universo : at prædictæ aquæ nec ab hominibus conspici possunt , ut patet ; nec habent exercitium aliquod in universo , ut ex dictis constat : ergo hæc causa subsistere non potest. II. Quia ut aliquid possit esse monumentum alicujus rei , debet ducere in memoriam illius ; at aquæ supra Cœlos non possunt homines in memoriam ducere , quod Cœli producti sunt ex aqua : ergo secunda causa est omnino vana , & voluntaria. *Prob. Min.* Quia quod sensibus nostris non apparet , non potest excitare nostram memoriam , uti inscriptio posita in culmine altissimæ turris , quam pertingere non potest acutissimus oculus ; sed aquæ illæ sunt tam dissitæ à nobis opinione adversariorum , ut omnino fugiant nostrum prospectum : ergo nullius rei possunt deservire in monumentum. *Ulterius.* Quia quod Cœli facti sunt ex aqua , certum omnino non est ; imò contrarium est probabile : nam in principio creavit Deus omnes Cœlos , uti dictum est. III. *Denique* , quod aquæ supra sydera collocatæ sunt ad delectationem beatorum , minus subsistit : quia ex illa sequitur , quod Angeli creati cum Cœlo , & terra , & beatitudinem adepti antequam aquæ collocarentur in Cœlo , non fuerint plenè beati usque ad earum collocationem : nam eis defecit tempore anteriori aquarum delectatio : quod dici nequit à cordatis viris ; esto dicatur talem delectationem non pertinere ad beatitudinem essentialem , sed solum ad accidentalem : quippe & dici poterit defuisse Ange-

lis delectationem ex sequentibus operibus Dei, & quod ea facta sunt ad delectationem beatorum.

38 *Dicendum ergo*, quod firmamentum factum hoc die, nihil aliud est, quam aer, ad quem conscendunt vapores, qui in nubibus resolvuntur in aquas, atque ipso in aëre librantur, & firmantur; earumque aqua dicuntur *aqua superiores*, & aqua maris dicuntur *aqua inferiores*, recteque illi convenire nomen *Caeli*. Ita ex Nostreis Estius, Marius, Silvius, Heluig, & alii, ut Joannes à Sancto Thoma in Tract. de Opere sex dierum. Et quidem, quod aëris spatium quod nubes conscendunt, Scripturæ phrasi *Caelum* vocetur, mille locis comprobari potest. Sufficiunt duo, unum ex veteri Testamento; nam hoc capite num. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, & volatilibus Caeli, & bestiis terræ.* Et aliud ex novo Matthæi cap. 6. *Respicite volatilia Caeli*: aves enim non volant in Coelis planetarum, sed in aëris spatio: unde spatium & aëris expansio dicitur *Caelum*: & hac ratione frequens est phrasis Scripturæ, Deum dare, vel negare *pluviam de Cælo*, Act. Apost. 14. & Jacobi epist. cap. 5.

39 Quod autem spatium aëreum sit firmamentum aquarum, constat ex illo Proverbiorum cap. 8. *Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum*: ubi aliquot pro *fontes* legunt *nubes*: & dicitur æthera sursum esse firmatum; sed quod est firmatum, jure dicitur firmamentum: ergo spacium aëreum rectè *Firmamentum* dicitur; diciturque Deum *librare aquas*, quatenus nubes quasi appendit in aëre.

40 Denique, quia aqua, quæ ab Auctoribus contrariis collocantur super planetas & stellas, sunt ejusdem speciei cum aquis inferioribus maris, cum ab illis separatae sint: unde citra miraculum debent gravitare, uti aqua Maris Rubri, quæ detenta miraculosè gravitate, steteret ab utraque parte immota; quasi murus, ut populus Israel pertransfret. Si ergo Caeli sunt fluidi, miraculosè est detenta earum gravitas, uti aqua Jordanis dum arca Dei pertransfret; si autem sunt solidi, erunt in statu violento: nam propria gravitate inclinant ad terram undequaque, ut patet in pluvia. Cum ergo

in creatione mundi se habuerit Deus ut auctor naturæ; nec recurrentum ad miracula, nec ad statum violentum rerum naturalium.

41 Potissima autem dictorum ratio est: quia Moyses scopus fuit, rudem Hebræorum populum edocere, quod Deus esset auctor & causa hujus visibilis orbis, & omnium eorum, quæ in eo conspectui apparent, ut illum abduceret ab Ægyptiaca Idololatria: & ideò nec de Angelis fecit specialem mentionem juxta aliquos, nec de Empyræo: at aquæ supra Cælos non cadunt sub conspectum; ob oculos autem sunt, quæ decidunt ex nubibus: ergo de istis, & non de aliis prædicto loco loquutus est Moyses.

42 *Sed dices ex Calmet*, quod aëris regio est per se maxime fluxibilis: quod autem est fluxibile firmamentum dici non potest: ergo. *Resp.* quod licet aër sit fluxibilis; est tamen capax sustinendi nubes & alia meteora: & hac ratione dicitur firmamentum, ad modum quo, licet aqua maris fluxibilis sit, sustinet tamen navium molem, & in eis onera mercium, tormentorum, & armorum: unde quia nubes in aëre consistunt, & resolvuntur in aquas; ideò aër venit nomine firmamenti accipiendus: uti etiam docent aliqui ex contrariis Auctoribus, docentes firmamentum quod est inter orbem terreaqueum, & supremum Cælum: ac licet tum non fuerint nubes, quia nondum erat Sol; erat tamen firmamentum, quo postea consistere nubes.

43 *Dices II.* quod Patres communiter docent, aquas esse super Cælos planetarum, & stellarum. *Sed respondetur PP.* hac in re non omnino concordare: & quoties non sunt omnino concordēs, nec affirmantium, nec negantium urget auctoritas. Hoc autem operosum esset ostendere, quod non permittit brevitās nostra.

ART. IV. Quod fuerit opus diei tertiæ?

44 **H**IS verbis descripsit Moyses: *Congregentur aquæ, quæ sub Cælo sunt in locum unum, & appareat arida, & factum ut ita: & vocavit Deus aridam terram, Congregationesque aquarum appellavit Maria.* Hoc

est, aqua quibus circumcincta erat terra, confluxere ad locum unum, & apparuit facies terræ. Attamen cum tanta esset aquarum moles, *disquiritur*, quomodo potuerint coire aquæ, quæ magnitudine excedunt terram? Quidam, ut Petavius & alii, censere, quod aquæ, quæ erant super faciem terræ, solum erant levissimi vapores, aut nebula, quæ condensata, minorem locum poterat occupare; ideòque recepta est in cavitatibus terræ; sed hæc excogitatio est adversa illis verbis: *Spiritus Dei ferebatur super aquas*, quæ de veris aquis intelligi debent; cum ex hoc nullum inconveniens sequatur.

45 Noster Marius alios recenset opinandi modos, quibus aquæ inter se confluxere, & apparuit terræ facies. Quidam quidem asseruere, aquas confluisse in terræ fossas, ac sese aggerando, elevatas fuisse super terram ad modum, quo acerbus tritici per aggerationem crescit, & assurgit in altum; ita mole illâ aquarum repletis terrarum fossis, reliquum aquæ sese aggeravit, & factum est mare altius terræ, hoc est, quod ejus superficies plus distet à centro terræ, quam ipsius terræ superficies; ideòque mare supra terram elevatum esse. Verum cum alii doceant contrarium, & utrique advocent Scripturam in suum subsidium; Nos ab hac lite Philosophica abstrahentes, & cum communi opinione censentes aquæ ac terræ unum esse globum, expeditiori via id explicare conabimur.

46 *Dicendum ergo*, quod Deus orbem terræ ex omni parte æqualem, aquis obtectum per partes excavavit, ac ductis fossis, terra egesta superposita aliis partibus terræ, consistere montes, valles, & planities, terraque introrsum referta meatibus, confluxere aquæ, quæ terram obtegebant, in illas fossas & cavitates, & facta sunt maria, ex quibus per occultos meatus mirabili modo ascendunt aquæ ad summa montium, quæ deinceps fluunt in mare, & hoc modo apparuit facies terræ; non tamen tam arida, ut nullum retinuerit humorem; sed mansit eo humore concreta, qui erat necessarius ad unionem partium, & ad productionem plantarum.

47 *Sed dices*: aquarum copia, quæ terra obtegebatur, erat ter-

terra major : equidem eam ambiebat : ergo in terræ cavitatibus contineri non potuit. *Attamen resp.* quod aquarum copia erat major quantum ad superficiem ; sed non quantum ad molem & quantitatem ; uti si quis solidum globum operiat serico linteo , eo detracto & conglobato , reperiet globum sericum minorem esse quantitate globò quem obtegebat : ita ergo cum Deus super induxerit aquis terram quam creavit ad habitationem hominum , non est credendum aquam creasse in tanta copia , ut repletis cavitatibus terræ , necesse fuerit , aut aquas in nihilum redigere , quod non est sapientis Architecti aut continuo miraculo eas in cumulum sustinere contra earum fluxibilitatem : unde oportet dicere Deum eam copiam aquarum produxisse , quæ posset terram operire , & postea fossis , & cavitatibus terræ contineri.

48 *Sed insurges :* nam Scriptura hoc ipso in cap. 1. dicit quod : *Tenebræ erant super faciem abyssi :* idest , super aquas , quæ erant abyssus ; at abyssus est id , cujus non est invenire fundum , uti docent Basilius , & Ambrosius : ergo moles aquarum fuit longe major orbe terræ. *Resp.* quod abyssus aquarum solum dicitur , cujus fundus visu penetrari non potest : ad quod non requiritur tanta aquarum copia , sed sufficit spatium quingentorum passuum ; immo ducentorum , perindeque id non officit assertioni nostræ.

49 Nec quando dicit Scriptura : *Congregentur aqua in locum unum* , non est intelligendum uno solum loco congregatas aquas , variisque sinibus , uti brachiis , distinctas , vel uti sanguis in corpore humano : nam licet Oceanus habeat communicationem cum omnibus aquis , quæ circumeunt Europam , Asiam , Africam , & Americam ; est tamen Mare Caspium , & Mare Galilææ , & alibi alia , quæ nullam communicationem habent cum Oceano : unde : *in unum locum* intelligendum est *distributive* : idque indicat facer textus dum dicit : *Congregationesque aquarum* (numero plurali) *appellavit maria* , itidem numero plurali.

ART. V. De Opere plantarum.

30 **C**ongregatis jam aquis, terraque apparente, illo ipso die dixit Deus: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram: & factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum & lignum pomiferum faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundum speciem suam: unde hoc die productæ sunt plantæ & arbores; sed in hoc sunt plura disquisitione digna.*

51 *I.* An terra in productione herbarum & arborum habuerit aliquam activitatem, seu concursum? *Supponendum*, quod terra habet inditam à Deo virtutem & activitatem ad producendas herbas & arbores, cooperantibus planetis cum ejus virtute: & *supponimus* terram per se solam in prima productione herbarum & arborum non potuisse producere arbores & herbas ea perfectione, quæ creatæ sunt, nempe cum semine, & arbores cum fructibus, & in illis semina ad eorum propagationem: quia natura simul & semel ad hæc non valet: atque adeò Deum per se & principaliter herbas & arbores produxisse. Unde ad modum quo quæritur inter Theologos, an habitus supernaturalis sit tota ratio agendi, seu eliciendi actum supernaturalem: & aliqui docent esse totam & adæquatam virtutem eliciendi actum supernaturalem: & alii docent potentiam naturalem etiam active concurrere cum habitu supernaturali; *ita quæritur*, an in productione herbarum & arborum terra habuerit aliquam activitatem simul cum Deo, vel solum passive se habuisse?

52 In quo sunt, qui doceant, Deum immediate & per se sine activo concursu terræ produxisse in ea herbas & arbores. Attamen alii docent terram concurrisse active cum Deo ad productionem herbarum & arborum, Deo suplen- te per suum concursum quidquid deerat activitati terræ ad productionem illarum in statu perfecto: Quæ sententia apparet conformior textui sacro; nam Moyse attestante dixit Deus: *Germinet terra herbam virentem*: germinare autem est

producere, & ideo immediate ait Moyses: *Et protulit terra herbam virentem*: sed productio ab aliquo non est, nisi ab ejus virtute productiva: ergo productio herbarum & arborum à terra non potuit esse, nisi concurrente ejus virtute productiva.

53 II. An herbæ & arbores productæ sint cum seminibus perfectis, & fructibus itidem perfectis? Fuere qui censuerint Deum non sic ea produxisse; sed solum cum potentia producendi, & quasi in actu primo. Alii censuere, quod herbæ, & arbores, quæ pro tempore productionis mundi habent semen, & fructus, cum fructibus, & seminibus productæ sunt; at verò herbæ, & arbores, quæ alio tempore producunt semina, & fructus, sine illis productæ sunt: ut si mundus creatus est tempore verno, herbæ, & arbores, quæ tali tempore producunt semina, & fructus, cum illis creatæ, & productæ sunt; secus autem herbæ, & arbores, quæ autumnio semina, & fructus ferre solent; productæ enim sunt, ut ferrent semina, & fructus tempore suo.

54 *Nobis autem dicendum cum communi sententia, quod omnes herbæ, & arbores productæ sunt à Deo in statu perfecto cum eorum seminibus, & fructibus. Prob. I. ex ipso textu, nam Moyses ait: Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, & lignum pomiferum faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundum speciem suam*: atque adedò herbæ, & arbores habebant sementem secundum proprias species; sed semen arborum inest in interiori fructus, ut experientia constat: ergo herbæ, & arbores productæ sunt cum seminibus, & fructibus.

55 II. Quia arbores Paradyfi productæ sunt cum fructibus, ut constat ex cap. 2. Genesis v. 9. *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave*; id est, cujus fructus erat suavis ad vescendum: & ideo cap. 3. Eva respondit serpenti, v. 2. *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradyso, vescimur*: ergo & aliæ arbores, & herbæ productæ sunt cum semine, & fructu. III. Quia Dei perfecta sunt opera: herbæ autem & arbores in sua sunt perfectione, quando semina emittunt & fructus.

Item

56 *Item queris*, an Deus produxerit herbas, & arbores noxias? Aliqui PP. censuere Deum à principio non produxisse herbas, nec quidquid venenosum est; sed post peccatum primi hominis terram ea produxisse in pœnam peccati. Etenim pro statu, quo condendus homo erat, nihil noxium esse poterat illi, ut pote immortalis: quapropter & post peccatum Adamo dixit Deus de terra: *Spinās, & tribulos generabit tibi*. Alii in mentem subiit dicere, Deum à principio venenosa creasse, sed sine veneno, uti rosam sine spinis.

57 *Dicendum videtur* Deum à principio produxisse herbas, & quidquid venenum est homini, licet in statu innocentiae illi nocere non posset; quia herbis venenosis convenit esse venenosas ex propria, & specifica ratione, vel non convenit: si non convenit ex propria, & specifica ratione, sed solum ex accidenti; jam ex natura sua non erunt venenosae, uti vinum, quod ex accidenti potest fieri venenum; si autem illis esse venenosas convenit ex natura sua, illas produxit Deus, prout tales sunt: quia in prima rerum productione solum se habere voluit Deus ut Auctor naturalis rerum; atque adeo produxit herbas, & arbores juxta propriam earum naturam.

58 *Sed dices* in prima rerum productione omnia creata, & producta sunt propter hominis utilitatem; sed venenosa, & noxia nullius possunt esse homini utilitatis: ergo ea non sunt producta in prima rerum productione; sed post peccatum primi parentis in ejus pœnam producta sunt à terra. Omisissis plurimis, quæ congerunt Auctores de his, quæ sunt homini noxia per se, & per abusum, ut constat in epulis, & vino, quorum, cum per se sint bona, abusus est malus. *Resp.* quod omnia corporea producta sunt in hominis utilitatem physicam, vel moralem; ac quod licet venenosa, & noxia nullam utilitatem præ se ferant homini in ordine physico; plurimam poterunt conferre in linea morali. Nam ex noxiis edificare poterat, quot mortis causis subesset, si non permaneret in accepta justitia; cumque homo sit agens physicum, & morale; in rerum productione non solum attendenda est ejus utilitas physica, verum præcipua moralis; & propter hanc

hanc producta esse venenosa & noxia. Quibus cum aliis addere potes, quod nihil est in universo noxium, quod utile non sit alicui parti universi.

59 *Demum advertere oportet*, Deum non uno in loco herbas & arbores produxisse; sed eas pro diversitate climatum, quæ futuræ erant die sequenti, eas produxisse; uti Cedri in Phoenicia, & non in Hispania; & in Hispania fortasse aliæ arbores, quæ non sunt in Phoenicia.

ART. VI. *Quod fuerit opus diei quartæ?*

60 **H**oc enarratur à Moysè, his verbis: *Dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento Cœli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora & dies & annos, ut luceant in firmamento, & illuminent terram: & factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus ut præsit diei: luminare minus, ut præesset nocti: & stellas, & posuit eas in firmamento Cœli, ut lucerent super terram, & præessent diei, ac nocti, & dividerent lucem & tenebras: & factum est vespere & mane, dies quartus.* Hac ergo die produxit Deus Solem, Lunam, & Stellas in firmamento Cœli, hoc est, in ea expansione, seu spatio, quod est supra regionem aëris, & dicitur. *Cœlum Æthereum.* In quo aliqua discutienda sunt.

61 *Et 1. queritur*; an Sol, Luna, & Stellæ substantialiter & entitative producta sint à Deo, vel solum accidentaliter? *Quidam putarunt*, quod sol nihil est aliud, quam lux primo die creata, quæ ex hemisphærio collecta est in unam partem Cœli, & sit factus est Sol; Luna autem, & Stellæ nihil aliud sunt, quam pars Cœli varie addensata ad receptionem & reflexionem lucis; atque adeò Solem, Lunam, & Stellas non esse aliud quoad substantiam & entitatem, quam Cœlum & lucem primo die creatam. *Alii censuere* Solem, Lunam, & stellas nihil esse, nisi portiones Cœli addensatas, quibus Deus indidit virtutem producendi lucem, varièque influendi in hæc inferiora.

62 *Dicendum nobis*, Solem, Lunam, & stellas, sub quarum nomine comprehenduntur Planetæ, & Astra producta esse

à Deo, quoad entitatem & substantiam; & non ex materia Cœli, nec ex luce primo die creata *Prob. nostra Sententia* ex ipsis verbis Sacri Scriptoris. *Dixit autem Deus: fiant luminaria in firmamento Cœli, & dividant diem ac noctem* &c. & factum est ita: ubi eodem modo dicuntur facta luminaria, hoc est, Sol, Luna, ac Stellæ, ac facta est lux: *fiat lux & facta est lux*; sed lux facta est à Deo immediate, & non ex aliquo præsupposito: ergo etiam Deus fecit immediate & per se Solem, Lunam, & Stellæ & non ex aliquo præsupposito. *Confirmatur.* Quia cum Deus in prima rerum productione voluit uti concursu creaturæ: id explicat Moyses, dicendo, ut in productione herbarum & arborum: *germinet terra herbam virentem.* Et in quinto die: *Prodūcant aquæ reptile animæ viventis*; at hoc non reperitur in productione luminarium, hoc est, Solis, & Lunæ, ac Stellarum: ergo non ex aliquo præsupposito ea Deus produxit.

63 Hic respuenda venit exotica opinio Severiani Gabbalorum Episcopi, qui censuit Solem, Lunam, & Stellæ producta non esse in Cœlo, sed extra illud, & postea Cœlo affixa, uti cum faber campanam facit; & postea collocat in turris fenestra: tum quia contra verba sacri textus: *Fiant luminaria in firmamento Cœli.* Tum quia si Sol, Luna, & Stellæ non sunt producta in Cœlo, sed extra illud; & postea illi affixa: necesse est, quod sint producta, aut in spatio imaginario, quod est ridiculum, & voluntarium; aut infra Cœlum, in aëre videlicet, aut orbe terræqueo, quod non potest convenire magnitudini, quam docti Astronomi tribuunt Soli, & Stellis. Unde sit exoticam esse præfatam opinionem.

64 Sed queritur, quo modo Sol, Luna & Stellæ sint in signa, & tempora? *Resp.* quod non sunt in signa futurorum eventuum, qui à libero pendent arbitrio, ut vanè nugantur Astrologi: hoc enim falsum demonstravere PP. & Theologi; sed solum aliqua signa dierum, uti si deciderit pluvia, habunt venti, & his similia. Sol ut ad motum primi mobilis faceret diem, & motu proprio per Zodiacum perageret annum; Luna & Stellæ, ut lucerent per noctem, sole recedente ab

hominum aspectu. Itidem Luna ut perageret mensem suo cursu, & cursus ejus quatuor divisus partibus efficeret hebdomadas, quarum quæque septem diebus constat: silentio prætermittimus cursum Planetarum, Astrorum, & stellarum; quia hæc non servant vulgari usui tempora numerandi.

65 *Itidem* Quæres quo Zodiaci signo productus est sol; an in Arietis, vel Libræ, an Vere, aut Autumno? Ab hac questione alia pendet, quam contentiosè nimis agitant plures; an scilicet mundus conditus sit Veris tempore, an Autumni? A quo abstinemus; quippe qui pensatis utriusque opinionis fundamentis, ad huc sub dubio hæremus. Quidam hic quidem disputant de natura planetarum, astrorum & stellarum, an specie differat: item de eorum influxibus, nec non & de natura Cælorum, & eorum proprietatibus, & his similibus: quæ Philosophis mittimus.

ART. VII. *Quod fuerit Opus diei quintæ.*

66 **I**llud ergo his Moyses descripsit verbis: *Dixit etiam Deus producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram sub firmamento Cæli*, idest, vivens, quod sine pedibus reptando movetur: quo nomine, omnium PP. & Expositorum consensu, *pisces* intelliguntur, qui pinnis aquis pervagantur: & volatile super terram, omnia animantia, quæ per aërem pervagantur: in quo & aliqua disquirenda veniunt. *Quæritur I.* an pisces producti sint ex aquis solum in genere causæ materialis; an etiam in genere causæ efficientis, sicuti disquisivimus de productione herbarum. Communiter Auctores docent ex aquis productos pisces solum in genere causæ materialis, Deo se habente solo in genere causæ efficientis. Cæterum cum causa materialis, qua talis, productiva non sit; sed solum (ut docent Peripatetici) susceptiva formarum: cum Deus dixerit: *Producant aquæ reptile animæ viventis*; proprius veniunt intelligenda prædicta verba de virtute activa, in quo non est inconveniens; atque adeo Deum in prima productione vim activam indidisse aquis ad piscium productionem, easque active concurrisse ad producendos pisces.

67. *Sed Dicendum* aquas nunc non pollere vi activa produ-
cendi pisces; hi namque ex ovīs gignuntur: Deumque sine
concurſu aquarum, eos prouocare potuiſſe à ſe ſolo: ergo
non eſt ponendus activus concurſus aquarum in productione
piſcium. *Reſp.* Nos vim activam in aquis ad productionem
piſcium ponere ex vi ſacri textus: *Producant*, quod verbum
in rigore & propriè ſumpto verificari non poteſt de pura
cauſa materiali. *Deinde* eſto nunc aquæ non habeant activi-
tatem producendi piſces; pro prima illorum productione,
voluit Deus aquis indere; quia viventium voluit in genere
cauſa efficientis habere conſortium, ut ſuæ bonitatis oſten-
deret abundantiam. Hujus, & aliarum rerum, *quis Conſilia-
rius ejus fuit?*

68. *Ex prædictis verbis colligitur* Deum etiam ex aquis
produxiſſe reptilia maris, & alia animantia, quæ reptant
& ſerpunt ſuper aquas. Nam propoſitio Moyſis eſt univerſa-
lis: *Producant aquæ reptile animæ viventis*: conſultòque
non nominavit *piſces*, aut *natans*, ſicut per *volatile* expli-
cavit aves: unde videtur dicendum reptilia maris ex aquis
uiſſe eodem die producta.

69. *Queritur II.* an Aves & cætera volatilia hac die pro-
duxerit Deus ex aquis? Cajetanus, Catherinus, & alii cen-
ſuere, non ex aquis ſed ex humo aut terra uiſſe creata:
Contrarium tenent Theologi I. ex ipſo textu Vulgatæ, cui
conſonant textus Hebraicus, & Chaldaicus. *II.* ex traditio-
ne Eccleſiæ conteſtata in hymno Feriæ V. ad Veſperas: *Mag-
na Deus potentia, qui fertili natos aqua, partim relinquit
gurgiti, partim levas in aëra. III.* ex communi conſenſu PP.
qui videri poſſunt apud Auctores.

70. *Sed Dices I.* Textus Hebraicus ad literam ſolum dicit
Et volatile volat ſuper terram: non dicit ergo ex aquis Aves
productas. *II.* quod Genefis cap. 2. dicitur: *Formatis igitur
de humo cunctis animantibus terræ, & uniſverſis volatilibus
Cœli, adduxit ea ad Adam*: ergo volatilia de humo produ-
cta ſunt.

71. *Reſp. ad I.* quod Textus Hebraicus non dicit expli-
citè volatilia de aqua producta; ſed contextus id innuit jux-
ta Vulgatam, Septuaginta, & Chaldaicum textum, aliasque

versiones, quas congerit Hays: Nam *volatile volet super terram*, supponit volatilia producta; quippe operatio supponit esse: & cum mandatum Dei fuerit ad aquas: *Producant aqua* volatilia quæ fuerint eodem die producta; fit implicite, quod fuere producta ex aquis.

72 *Ad II. Resp.* quod eo loco particula *Et* solum refertur ad Ablativum *formatis*: non ad vocem *de humo*: atque adeo solum expressisse Moysen materiam, ex qua producta terræ animalia; sed silentio prætermisisse materiam, ex qua sunt volatilia producta: rem autem sub silentio mittere, nec affirmatio, nec negatio est: unde ex illo loco nihil efficitur contra nostram sententiam. *Ex his Dicendum* quod omne Muscarum genus, quod generatione vera, & non putrefactione fit, eo die fuisse productum; quia eo die producta omnia, quæ per aëra volant. De Phœnice Avi plura plures disquisiere; Nos autem otio destituti, fabulis amandamus cum Erudito Aldrovando, Helbig, & aliis.

ART. VIII. *Quod fuerit Opus diei Sextæ.*

73 **I**D dicit Moyses his verbis: *Producat terra animaliam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia & bestias terræ secundum species suas.* Itaque hac sexta die produxit Deus omne genus animalium terrestrium, quæ per veram & naturalem generationem procreantur: unde quæ ex diversæ speciei animalibus gignuntur, ut Mulus ex Equâ, & Asino, Leopardus ex Leona & Tigride, & quæ nascuntur ex putrefactione, solum creata in potentia; non vero actu, quatenus creata sunt animalia, ex quorum commixtione nasci possent; aut ea ex quorum putrefactione oriri possent.

74 *Sed Dices* cum ex animalibus terrestribus & volatilibus quædam sint carnivora, ut Leo, & Lupus; necesse videtur esse, quod Deus produxerit alia animalia ad eorum sustentationem, & congruentem propagationem. *Quibusdam sic visum*: & S. Augustinus de Genesi ad litteram hanc difficultatem proponit: *Nobis autem dicendum*, quod Deus in prima productione animalium nullum produxit in escam
ani:

animalium carnivororum ; sed pro tunc usque ad sufficientem propagationem, herbarum, & fructus arborum fuere illis in cibum, ut constat ex cap. 1. Genesis v. 29. & 30. *Dixitque Deus : Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam & cunctis animantibus terræ, omnique volucri Cæli, & universis, quæ moventur in terra : ad modum quo animalia carnivora, quæ fuerunt in Arcâ Noe, ex fructibus terræ vescebantur tempore diluvii.*

75 Hæc de operibus sex dierum, Homine excepto : de quo quia separatam exigit considerationem, post pertractabimus.

ART. IX. *An dies creationis fuerint veri & naturales?*

76 **P**hilo Judæus, Origenes, ac præsertim D. Augustinus lib. 4. de Genesi ad lit. cap. 32. & deinceps, aliisque locis Cajetanus, nuperque Zagaglia Carmelita tom. 4. tract. 3. disp. 6. censuere dies creationis non fuisse veros & naturales ; sed Deum unico die omnia creasse : Moysen verò opera distinxisse per dies, ut populus Hæbraicus tarditate laborans, quæ simul capere non poterat, per distinctionem percipere posset : illudque *Vesperæ & mane* nihil aliud fuisse, quam cognitionem Angelorum qua cognoscebant res in Verbo, & in se ipsis ; quippe lux primo creata non erat lux corporalis, & sensibilis ; sed ejus nomine Moysen intellexisse Angelos, ut tenet Augustinus.

77 Hæc tamen sententia falsis suppositionibus innititur. *Primum* enim supponit nomine lucis Moysen Angelos intellexisse, non lucem sensibilem, & corporalem, quod jam evicimus falsum, dum egimus de opere primi diei. *Secundum*, scilicet de cognitione matutina, & vespertina, alienissimum puto à Moyse, qui (ut contrarii fatentur) rudi populo historicum agebat. Nam his modis, quibus Angeli

res cognoscunt in se ipsis, & in verbo, cum vix Theologi cognoscant magno labore & studio; qua ratione potest asseri in mentem Moysis venisse cognitionem matutinam & vespertinam: qui non meminit creationis Angelorum, & rudem populum crudiebat (ut ultro fatentur adversarii) *Deinde* quia Angeli non sunt creati ante mundum corporeum, sed simul cum illo; & in primo instanti non cognovere res in verbo: alias: in illo instanti vidissent Divinam essentiam, & non fuissent viatores, nec peccare potuissent: quæ omnino sunt à veritate aliena: quapropter vana sunt fundamenta hujus sententiæ.

78 *Dicendum ergo* dies recensitos à Moyse in prima rerum productione fuisse veros dies naturales. *I.* quia id textus innuit, & verba Scripturæ Sanctæ accipienda sunt in proprio & literalis sensu, quando nullum sequitur inconueniens, ut docuit Augustinus in lib. 3. de Doctrina Christiana; sed præsertim lib. 8. de Genesi ad litteram, dicens: *Narratio in his libris non genus locutionis figuratarum rerum est, sicut in Canticis Canticorum; sed omnino gestarum est, sicut in Regnorum libris:* Et idem effert cap. 2. at Moyses sex diebus conditum mundum scripsit: ergo ad litteram & in proprio sensu venit intelligendus.

79 *Deinde* quia Exodi 20. innuens Moyses Israëlitis diem Sabbati sanctificandum, ait: *Sex diebus operaberis, & facies opera tua; septimo autem die Sabbatum Domini tui est: omne opus non facies in eo:* Rationemque edocet: *Sex enim diebus fecit Dominus & Cælum & terram, & mane, & omnia, quæ in eis sunt, & requieuit in die septimo.* Ubi primo loco *sex diebus operaberis*, loquitur de sex diebus naturalibus, veris, & propriis, ut nulli dubium subesse possit: ergo & secundo. *Sex diebus fecit Deus Cælum & terram, &c.* de diebus naturalibus veris & propriis venit intelligendus. In quo præ oculis habendum Moysen in libro Geneseos Historicum agere, cujus munus est gesta, ut re vera fuere, describere.

80 *II.* ex communi sensu Ecclesiæ, & PP. consensione. Ex Græcis Theophilus Antiochenus, Basilius, Nyssenus, Chrysostomus, alique: ex Latinis Tertullianus, Ambrosius, Hic-

Hieronymus, & reliqui. *III.* quia ex opposita sententia sequeretur Moysis narrationem multis esse falsam: *tum* quia si simultate temporis omnia producta; terra esset producta cum arboribus & plantis, sicque *non esset inanis & vacua*: *Tum* quia si lux esset creata, quando creavit Deus Cœlum & terram; tenebræ non possent esse super faciem abyssi. *Tum* quia si aquæ ut nunc sunt, creatæ sunt quando creavit Deus Cœlum & terram; non potuit esse divisio aquarum, nec verè firmamentum fieri. *Tum* quia nec Deus creavit pisces, & volatilia ex aquis, nec bestias, ac hominem ex terra: hæc enim omnia essent ad summum Allegorica: qua de causa male audit inter Theologos Origenes: ergo dies creationis fuere verè dies naturales, & omnimoda proprietate accipiendi sunt.

81 *Sed Dices I.* Ecclesiastici cap. 8. dicitur: *Qui vivit, creavit omnia simul*: ergo non distinctis diebus naturalibus: nam ea quæ producuntur distinctis diebus, non simul producuntur. *II.* Moyses ait Genesis cap. 2. *Ista sunt generationes Cœli & terræ, quando creata sunt, in die qua fecit Dominus Cœlum & terram, & omne virgultum agri*: ergo eodem die, quo produxit Cœlum & terram, produxit etiam virgultum, & consequenter tertius dies idem fuit cum primo. *III.* quia Behemoth, seu Diabolus Job 40. dicitur factus simul cum homine; sed Dæmon factus est, quando Deus fecit Cœlum & terram: ergo & tunc factus est homo, & non verò die sexto.

82 *Resp. ad I.* quod prædicto loco *ly simul* non debet intelligi de simultate temporis; sed de simultate collectiva: & ideo in textu Greco est *pariter*; ita ut sensus sit: *Qui vivit in æternum, omnia pariter creavit, uti si dicamus: Deus pariter est Creator Angelorum & hominum. Vel potest dici, quod simul ibi idem est, ac nullo excepto; quippe Deus est omnium Creator.*

83 *Ad II. Resp.* quod prædicto loco *singulare die* usurpatur pro plurali: quippe id frequens in Scriptura, & *dies* in singulari accipitur pro tempore, quod plurimis posset ex Scripturis comprobari, ut Num. cap. 7. *In die, qua consecratum est altare*: cum ex ipso capite constet consecrationem factam pluribus diebus ad Hebræos cap. 3. *Sicut in die*

ten-

tentationis in deserto : cum faciunt plures dies , non unicus .
Ad III. Resp. quod Behemoth solum in sensu mystico significat *Diabolum* , qui simul cum homine conditus est , non simultate temporis , sed simultate creationis operum Dei , quæ simulas habuit varia dierum intervalla.

84 Ex dictis patent errores antiquorum Philosophorum , & Hæreticorum . Nam in primis fuere Philosophi , in quibus fuit Aristoteles , qui mundum censuere æternum . Deinde fuere , qui tenuere materiam , ex qua orbis corporeus constat , quam *Chaos* dixere , esse Deo coæternam , quia ex nihilo nihil fit . Deinde inter Hæreticos fuere , qui posuere duo rerum principia , unum bonum , & aliud malum : in his fuere Manichæi . Ac denique fuere , qui in producenda orbis machina asseruere Deum usum operâ Angelorum . Hos ergo errores damnavit Moyse hac unica propositione : *In principio creavit Deus Cælum , & Terram* . Si autem cupis speciatim cognoscere errores Hæreticorum in primævis sæculis nascentis Ecclesiæ ; lege qui de Hæreticis tractarunt , & nuperum Van-Ranst in historia Hæreticorum . Si autem fabulas Thalmudicas erga hoc ipsum ; lege Natalem Alexandrum tom. 1. Historiæ veteris Testamenti art. 2. & sunt plurimi alii .

DISPUTATIO VI.

DE HOMINIS OPIFICIO.

1 Ultimum Dei opus in rerum creatione homo fuit , *Μικροκοσμος* , seu *Mundus brevijatus* , & vas admirabile Excelsi : de quo primo peragemus ea , quæ pertinent ad conditionem corporis , & postea de dotibus animæ .

2 Sexto ergo die post productionem animalium , formatum est corpus Adami primi parentis generis humani à Deo ex limo terræ . Genesis cap. 2. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ* . Ecclesiastici 17. *Deus creavit de terra hominem* . Et Apostolus ad 1. Corinth. 15. *Primus homo de terra terrenus* : ad modum quo Sculptores ex argilla efformant imagines statuarum ; hac tamen differentia , quod Deus

efformavit corpus humanum secundum omnem differentiam partium in ea dispositione, ut immediatè per rationalem animam sua officia peragere posset: & hoc in instanti per virtutem omnipotentia, ad modum quo Corpus Christi formatum est in utero Beatae Virginis Mariae, cooperante Spiritu Sancto; licet hoc Scriptura non explicet. Nam potuit corpus Adami efformari à Deo, & non in instanti. Certum tamen est Adami corpus fuisse formatum à Deo cum omnimoda perfectione; quia ut ait Scriptura: *Dei perfecta sunt opera*: nec socios in formatione hominis sibi ascivisse Angelos, ut aliqui haeticorum censuere.

Formato igitur corpore Adami cum perfecta organizatione, *inspiravit Deus in faciem ejus spiraculum vitae*, & *factus est homo in animam viventem*, Genes. cap. 2. v. 7. hoc est, creavit in praedicto corpore animam rationalem, qua vivere fecit, & tunc factus est animal rationale. Specialis autem prerogativa hominis est, quod primum hominem Adam *Deus creavit ad imaginem suam*, ex Gen. cap. 1. v. 27. de quo post differemus.

4. *Sed quaritur* I. quo loco productus est Adam? Ab antiquo Priscorum placita variant. Aliqui formatum in campo Damasceno: alii in campo Eden, & alibi alii. Sed pro his sententiis nullum solidum producitur fundamentum: unde fatius est ignorare, quam è tripodis cerebro aliquid definire. Certum tamen est Adam non fuisse creatum in Paradiso; quia in illo positus est à Deo, postquam formatus est, ex Gen. cap. 2. v. 8.

ART. I. *Qua ratione sit homo formatus ad imaginem, & similitudinem Dei?*

5. **G**enes. cap. 1. v. 27. dicitur: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam*: & ante: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Unde quaeritur, qua ratione factus sit homo ad imaginem, & similitudinem Dei? In quo aliqui fecernere voluerunt rationem imaginis in homine, ac rationem similitudinis; sed frustra. Nam

Nam pro eadem re usurpatur in Scriptura, & communi PP. & Theologorum sensu. Nam Genesis cap. 5. v. 3. dicitur: *Vixit Adam centum triginta annis, & genuit ad imaginem, & similitudinem suam; vocavitque nomen ejus Seth.* Unde cum Seth eadem ratione fuerit imago, & similis Adam: eodem modo ratio imaginis, & similitudinis Adami respectu Dei nullum discrimen habet. Proptereaque Scriptura hæc enarrans, quandoque utitur sola voce imaginis, ut Genesis cap. 9. *Quicumque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Et Ecclesiastici cap. 17. quandoque sola voce similitudinis, ut Jacobi epist. cap. 3. *In ipsa (nempe lingua) benedicimus Deum & Patrem, & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.*

6 In hac ergo questione, relicto errore Antropophor-
mitarum, & Andianorum, qui Deum censebant corporeum;
& hac ratione docebant hominem factum ad imaginem Dei:
variæ sunt sententiæ PP. tam Græcorum, quam Latinorum,
quos videre licet apud Petavium de Opere Sex Dierum tom.
3. Nos brevi compendio enarrabimus. Ergo cum homo
constet ex corpore, & anima, & ratio imaginis, & similitu-
dinis hominis ad Deum non possit ei convenire ratione cor-
poris, ut dictum est; necesse est, ut ei conveniat ratione ani-
mæ, ut pluribus locis docet Augustinus; attamen cum in
anima primi hominis fuerint plura, per quæ fuerit assimila-
tus Deo; inde emanavit diversitas sententiarum in PP. &
Theologis.

7 Tertullianus docet hominem factum ad imaginem
Dei, quia futurum erat, quod Verbum Filius, & imago uni-
voca Patris fieret homo, ad cujus exemplar factus est Adam:
ex quo factus est imago, & similitudo Dei. Hæc tamen sen-
tentia merito exploditur. Tum quia dixit Deus: *Faciamus*
hominem ad imaginem, & similitudinem nostram; quod non
posset esse verum, si primus homo solum factus esse ad imagi-
nem Verbi Divini in carne, quam solum assumpsit, & non
Pater, aut Spiritus Sanctus, quorum & fuit consilium fa-
ciendi hominem: ergo Tertulliani sententia explodi debet.
Tum quia hæc sententia supponit Christum futurum ante de-

cretum futuritionis Adami, cum communi PP. sententiâ repugnet. Aliqui PP. docent hominem factum ad imaginem, & similitudinem Dei ratione dominii, quod accepit super cætera animantia. Nam sicut Deus est omnium rerum Dominus; ita ratione dominii super omnia animalia factus est primus homo ad imaginem, & similitudinem Dei. Hæc tamen sententia non est simpliciter vera, licet primus homo aliquantulum fuerit similis Deo ratione dominii super cætera animalia: nam esse ad imaginem, & similitudinem Dei convenit univocè cæteris hominibus, ut constat ex locis citatis Genesis cap. 9. & ex Jacobi epist. cap. 3. at cæteris hominibus non convenit ratio imaginis, & similitudinis cum Deo ratione dominii super cætera animalia, ut per se patet; cum hoc dominium non habeant: ergo ea ratione non competiit Adamo ratio imaginis, & similitudinis cum Deo.

8 *Nec refert*, quod postquam Deus dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, subdit immediate: *Et præsit piscibus maris, & volatilibus terræ &c.* ubi videtur rationem imaginis primo homini convenisse ratione dominii supra cætera animalia. *Non*, inquam, *id refert*, quia illud *Et præsit* non est ratio imaginis; sed solum propositio copulativa dignitatis hominis, uti docent Expositores præcipui.

9 Eodem argumento refellitur sententia aliquorum PP. afferentium rationem imaginis, & similitudinem cum Deo constituisse in Adam in sanctitate, & donis gratiæ, ac immortalitatis; quia ratione gratiæ sanctificantis, & immortalitatis fit homo particeps Divinæ naturæ, & consequenter imago & similis Deo. *Verum* hoc commentum eodem fundamento dispellitur. Nam ratio imaginis, & similitudinis ad Deum est communis Adamo, & cæteris hominibus; sed in cæteris hominibus ratio imaginis, & similitudinis ad Deum non stat in sanctitate, & immortalitate, ut patet; quippe peccatores sine gratia, & immortalitate sunt ad imaginem, & similitudinem Dei, & ea ratione ut proximos tenemur diligere: ergo ratio imaginis, & similitudinis cum Deo non stat in homine præcisè ratione gratiæ, & immortalitatis; quanquam homo ratione gratiæ habeat aliam rationem specialem similitudinis cum Deo.

10 *Dicendum ergo est*, quod homo factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, quatenus anima rationalis, qua constat, est prædita intellectu, voluntate, & libero arbitrio. Hujus sententiæ coryphæus est Sanctus Augustinus pluribus in locis, quem sequuti sunt Magist. Sent. Divus Thomas, & communiter Scholastici. *Quæ probatur I.* à sufficienti partium enumeratione: quippe non restat aliud, in quo possit esse homo ad imaginem, & similitudinem Dei. *II.* quia Deus est vivens intellectuale, volitivum, & libero arbitrio præditum; sed homo similiter est vivens intellectuale, volitivum, libero præditum arbitrio: ergo secundum hanc rationem est ad imaginem, & similitudinem Dei. Ex quo manet explosa eorum sententia, qui asseriebant hominem factum ad imaginem, & similitudinem Dei; secus mulierem propter illud Apostoli 1. ad Corinth. cap. 11. v. 7. *Vir non debet velare caput suum, quoniam imago, & gloria Dei est; mulier autem gloria viri est.* Etenim mulier prædita est anima rationali sicut vir: & idè facta est etiam ad imaginem, & similitudinem Dei, quod Apostolus non negavit; licet eo loco non expresserit, sed solum contraposerit gloriam viri gloriæ mulieris.

11 *Sed dices*, homo ita factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, ut hoc ulli creaturæ non competat; sed esse intellectivum, volitivum, & liberum competit Angelis, & perfectiori modo: ergo in homine non potest stare hac ratione, quod sit ad imaginem, & similitudinem Dei. *Resp.* quod homo præ cæteris creaturis corporalibus factus est ad imaginem Dei: & hoc voluit innuere Moyse, qui Angelorum in creatione non meminit: unde hæc prærogativa hominis solum est respectu creaturarum corporalium; non verò respectu creaturarum purè spiritualium, quales sunt Angeli, qui perfectiori modo creati sunt ad imaginem, & similitudinem Dei.

ART. II. De Loco Paradysi.

12 **A** Dam, ubi creatus est, translatus est in Paradysum, ut ait Scriptura, sive immediate à Deo, sive ministerio Angelorum. Ubi fuerit Paradysus, & an nunc extet,

exter est scopus difficultatis, Sacra Scriptura Genesis cap. 2. v. 8. ait. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradysum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formaverat*: ac licet hæc vox *Paradysus* varias acceptiones habeat; hic sumitur pro loco amœnissimo, arboribus, plantis, & floribus, aquisque congruentibus consito, ubi posuit Adam, ut vitam scelicem degeret.

13 Per vocem à *principio* Rabbinii aliquot censuerunt Paradysum productum à Deo ante mundum corporeum contra verba expressa Moysis: *In principio creavit Deus Cælum & terram*. Philo Judæus, & Origenes, alique censuerunt narrationem Moysis de Paradiso puram esse allegoriam & non historiam; *sed contra stat* communis PP. & Theologorum sententia. *Tum* quia Moyses Genesim scripsit, ut Historicus, ut omnes fatentur: ergo ea quæ scripsit historicè accipienda sunt. *Tum* quia si ea, quæ de Paradiso Moyses scripsit, non essent intelligenda ad litteram; etiam comestio Adami de fructu arboris prohibita, quæ fuit initium peccati originalis, posset eodem modo usurpari: ac proinde posset nutare dogma peccati originalis; at hoc dici nequit: ergo narratio de peccato originali ad litteram & historicè est intelligenda.

14 Hoc supposito *restat disquisitio*, ubi fuerit Paradysus. De hoc egere plurimi PP. Commentatores in Genesim, plurimique Commentatores Sacræ Scripturæ aliis in libris. Magister Sententiarum, D. Thomas, & Scholastici, plurimique alii; sed inter hos non prætereundi Thomas Maluenda Ord. Prædicatorum lib. de Paradiso, & Petrus Daniel Huetius satis noti doctis suis eruditissimis scriptis: nec unquam alia in re invenitur tanta diversitas sententiarum: quam nos compendio dabimus. Nam aliqui Paradysum constituere in Cælo, alii in aëre, alii subter terram, alii in India Orientali, aut ejus insulis, alii in Arabia, alii in Palæstina, aut circumvicinis locis, alii in Mesopotamia, ac alii in Armenia: ac alii tandem locum esse semotum ab hominum cognitione. Nec mirandum de tanta opinionum varietate, cum res sit summe difficilis.

15 Certum tamen meo judicio est, quod Moyses, quando

do de Paradyso scripsit, non alia de causa nominavit flumina, nisi ut Hebræis daret signa loci, ubi constitit Paradyfus: iste namque non fuit brevis aliquis terræ tractus, sicut solet esse in Palatiis Principum; sed fuit latum territorium arboribus, herbis, floribus, & aquis abundans, ut in eo degerent primi, parentes, si in iustitia originali perseverarent; ibique vitam degerent ejus posterii.

16 Ex his, quæ de Paradyso scripsit Moyses, patet falsitas sententiarum eorum, qui illum posuere in Coelo, in aëre, vel subtus terram; quippe in his nec sunt arbores, nec fontes, nec flumina, quibus constitit Paradyfus: & quando primi parentes ejecti sunt de Paradyso, ejecti essent de Coelo ad terram, ex aëreque similiter, quod est absurdissimum. Absurdius autem est illud sub terra Paradysum collocare; nam subterranea habitatio congrua non est hominis primi felicitàti; nisi velimus, quæ de Campis Elysiis sinxere Poetæ, ad historiam revocare. Etiam ex his evanescunt sententiæ eorum, qui Paradysum collocarunt in India Orientali, aut aliqua ex ejus insulis, aut in Arabia, aut Palæstina; nam nulla earum alluitur Tigri & Euphrate. Nam Paradyfus, ibi situs fuit, ubi defluunt Tigris, & Euphrates; at præfatis in locis Tigris & Euphrates non defluunt: ergo in illis non fuit Paradyfus.

17 *Restat ergo*, quod Paradyfus fuerit in Mesopotamia, aut locis proximis illi: sic censent graves Authores; quippe notissimum est ex Geographia Euphratem & Tigrim decurrere per Mesopotamiam, sicque vocari terram illam, quæ interjacet inter hæc flumina, quæ juncta in sinu Persico aquarum copiam mari immiscent. Sed cum hi Auctores respiciant à numero fluminum, quæ enumerat Moyses: Nilum; quod juxta sententiam Geographorum ejus fontes distant plusquam sexcentis leucis ab scaturiginibus Euphratis & Tigris; docent Phison & Gehon esse duas canales, quæ post junctionem Euphratis & Tigris, orientalem unam, & alteram occidentalem iterum confluunt, atque tantam aquarum copiam Persicus excipit sinus: & alii alia flumina, quæ in Tigrim, & Euphratem defluunt: quæ sententia pollet magna probabilitate; licet difficultatis non sit expers: nam

nam difficillime conveniunt his canalibus, vel fluviis, quæ de Gehon & Phison edicit Scriptura.

18 P. Lubin, & P. Augustinus Calmet doctissimis scriptis notus, Monachus Benedictinus in Commentario Genesis cap. 2. docent Paradysum constitutum fuisse in confiniis Armeniæ, & Mesopotamiæ. Etenim ibi cernere est juxta potiores chartas Geograficas non longo tractu distare scaturigines Euphratis, qui scaturit ad Occidentem, Tigris, qui ad meridiem: Araxes qui est Gehon, & scaturit ad Orientem; & Phison, qui est Phasis, ac decurrit ad septemtrionem: quorum Araxes defluit in mare Caspium, & Phasis in Pontum Euxinum, & uterque aquarum copia celebres sunt: quæ optime conveniunt descriptioni, quam edidit Moyse de Paradyso.

19 Phison circuit terram Hebilath, Hebilath autem filius Jectan Genesis. 10. v. 19. incoluit plagam illam in Armenia, aut illi vicinam, in qua antiquorum sententiâ effodiebatur purissimum, & probatissimum aurum, reperiebaturque Bdelium, & Lapis Onychinus, ut latè Calmet: unde ipse est Phasis, seu Fasis, qui defluit in Pontum Euxinum, & exoritur à Septemtrione, non longe à foneibus Euphratis & Araxis.

20 Alter fluvijs est Gehon, & ipse est Araxes, qui ex montibus Armeniæ, ex quibus oritur Euphrates. Suam habet originem versùs Orientem, & decurrit ad Mare Caspium, atque quam irrigat terram, ubertate ceteras antecellit. Sed contra hanc opinionem stat gravis difficultas; nam Scriptura dicit quod Gehon *circumit omnem terram Æthiopie*: quod Araxi fluvijs non convenit. Propter hoc plures Auctores censuere Nilum unum ex fluminibus Paradyfi, qui per occultos terræ meatus, ex illo exoritur in interioribus Africæ, & decurrit ad Ægyptum, ubi in Mediterraneo Mari deponit cursum. At hæc aquarum transmigratio à Paradyso usque ad interiora Africæ plerisque videtur incredibilis propter summam locorum distantiam.

21 Ut huic difficultati fiat satis, notant plures in Originali Hebræo haberi *Circuit terram Gush*, quam vocem Septuaginta Interpretes, Josephus, & S. Hieronymus vertèrè

Ætio-

Æthiopiam, ex pluribus. S. Scripturæ locis, quibus constat chus Africæ populos esse itidem Arabiæ. Attamen Chus filius Cham ad Araxis proximam provinciam primum descendit, ejusque filii Chusitæ dicti, posteaque transmigrarunt in Indiam, inde in Arabiam, in Ægyptum, ac tandem in Æthiopiam, ut ex probatis Auctoribus tradit Calmet: unde cum primum terra chus sit ad Araxem sita, sequitur, quod Gehon sit ipse Araxes. Hoc autem confirmat: quia Gehon Hebraice derivatur à radice, quæ significat *decurrere cum impetu*: quod optime convenit Araxi, tanto enim impetu decurrunt ejus aquæ, ut dictum sit ab antiquo: *pontem indignatus Araxes*.

22 *Fulcitur hæc sententia*: quia Paradyfus situs erat ad plagam Orientalem Eden, ut vertunt plures, sive Eden sit urbs, quæ dedit nomen regioni Eden, sive sit ipsa regio & provincia Eden. Certum videri debet, primos parentes à Paradyso ejectos, non longè ab eo habitasse; nam de Cain eorum filio legitur Genesis cap. 4. quod: *Profugus habitavit ad Orientalem plagam Eden*: at Eden, sive sit urbs, sive regio, non distabat longè à scaturigine prædictorum fluviorum: ergo non longè ab originibus horum fluminum extabat Paradyfus, & consequenter aut in Armenia, aut in Mesopotamia, qua parte illam contingit, & hæc sententia mihi probabilior videtur.

23 Ex quo secundæ quæstionis parti faciliter respondetur: Paradysum sub ea forma, qua plantatus est à Deo, nunc non extare: *Ratio est*; quia regiones illas, in quibus exoriuntur prædicta quatuor flumina, peregrinati sunt plures, ut constat ex itinerariis: & nullus hucusque in illis, nec minimum vestigium invenit, quo colligitur diluvio perisse. *Sed autem dicas*: Henoch & Heliam esse in Paradyso, ut dent gentibus poenitentiam in fine sæculorum: *Respondetur* utrumque sublatum in locum nobis incognitum, & quia liber à molestiis Mundi hujus, in maxima quiete, & deliciis contemplationis; idèò dici Paradysum, ad modum quo eadem ratione Latroni dixit Christus: *Hodie*

mecum eris in Paradyso.

ART. III. *Qualiter formata fuerit Eva?*

24 **F**ormationem Evæ descripsit Moyſes his verbis
 Genetiſ cap. 2. v. 21. *Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam: cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Ex quo conſtat, quod Adamo dormiente, Deus tulit unam de coſtis ejus ſine ullo dolore, ac ex ea coſta Evæ corpus formaviſſe; anima enim ejus creatione formata eſt à Deo. Ac quanquam aliqui eſſerant corpus Evæ formatum miniſterio Angelorum; ſtat in contrarium ipſa textûs litera: *Et ædificavit Dominus Deus coſtam in mulierem.*

25 At quia coſta non videtur materia ſufficiens ad formationem corporis mulieris in ſtatu perfectio coſta cum carne detracta ab Adamo juxta illud Adami: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea:* Dicendum, quod primævæ materiæ coſtæ & carniſ adjecta eſt à Deo alia materia ad formationem corporis Evæ: & hanc additionem factam per creationem novæ materiæ cenſent aliqui; *at veriſſimilius videtur*, quod ſicut Adami corpus fuit formatum de limo terræ; ita de illo fuerit additamentum factum oſſi & carni detracto ab Adam ad formationem Evæ. Ac licet hæc portio fuerit major, quam portio oſſis & carniſ; Eva dicitur facta de oſſe, & carne Adami: quia hæc fuit materia primigena ex intentione Dei: ad modum quo quando Chriſtus pavit turbas in deſerto multiplicatis panibus, eſſi materia adjecta fuerit major; quia primigena erant quinque panes, eis dicitur aluiſſe in deſerto turbas.

26 *Sed Queritur*, an coſta, ex qua fuit formata Eva, fuerit una ex naturalibus conſtituentibus corpus humanum, vel fuerit ſupernumeraria in corpore Adam ad formationem corporis Evæ? Fuiſſe adjectitiam & ſupernumerariam cenſent plures cum D. Thoma. *Si autem dicas:* ex hoc ſequitur, Adamum creatum monſtruoſum, cum aliam præter naturales coſtas habuerit, in quo monſtruoſitas conſiſtit. *Reſpondent* quod Adam dupliciter poteſt conſiderari, & ut prin-

cipium generis humani, & ut persona particularis: primo modo costa illa non fuit superflua, nec Adam monstruosus; quia costa illa adjecta à Deo est, ut formatâ Evâ, unum esset principium generis humani, eâque demptâ maneret homo perfectus, ut privata persona: quod comprobant exemplo feminis, quod homini non est necessarium, ut privata personæ; est tamen ei necessarium, si velit propagare genus humanum.

27 Alii autem graves Auctores censent Evam formatam fuisse ex una ex naturalibus costis Adam. Hæc sententia verisimilior mihi videtur. *Ratio autem est*, quia Deus abstractâ costâ, *Replevit carnem pro ea*: hoc est, *substituit pro ea carnem*; at hoc non esset necessarium, si costa illa esset supernumeraria: ergo talis non fuit, sed naturalis. *Prob. Min.* detracta costa supernumeraria, mansisset Adam cum costa naturali, & consequenter omnino integer & perfectus; sed Adamo integro & perfecto suppleri nihil potest: ergo si costa illa esset supernumeraria, & non naturalis; non esset necessarium substituere pro ea carnem.

28 *Sed Dices*: ex hac sententia sequitur, quod Adam toto vitæ tempore mansisset defectuosus: cum toto illo defecisset ei naturalis costa; sed hoc non videtur dicendum: ergo costa, ex qua fuit formata Eva, non fuit naturalis, sed supernumeraria. *Resp.* quod Adam detracta costa naturali mansit defectuosus; physice loquendo, sed non mansit defectuosus moraliter loquendo: quia caro, quæ occupavit locum costæ, ita calluit & obdurnit, ut supleverit costæ ministerium, & sic moraliter non manserit imperfectus: sicuti quos videmus, quibus dentes & molæ defecere, & habent ita obduratas gingivas, ut catinum terreum confringant.

29 *Si autem queratur*, quo die, & ubi formata sit Eva? *Resp.* formatam die sexto, quo Adam; quia die septimo quievit Deus ab universo opere corporalis creaturæ, ut docet Scriptura Sacra. Locus autem ubi formata est, fuit in Paradyso: quippe formata est, postquam Adam translatus est in Paradysum, à quo non exiit, nisi postquam peccavit. Quanquam potuerit Deus detracta costa Adami, alibi Evam formare, & eam in Paradysum deducere; fortasse enim id

possunt innuere verba cap. 2. Genesis: *Et adduxit eam ad Adam.*

ART. IV. De Cognitione primi Parentis.

30 **C**ertum omnino, quod primi parentes creati sunt in ætate virili, qua poterant generare filios: nam ea ratione dictum est illis: *Crescite, & multiplicamini.* Certum etiam est, quod Adam mox à sua creatione non potuit rerum naturalium habere per se cognitionem: quia habetur studio, & experientia; sed cum Deus eodem die creationis mandaverit ei, quod nominaret, seu nomina imponeret animalibus juxta eorum naturas, & proprietates; sequitur, quod omnium eorum habuit perfectam cognitionem, habuitque eam de omnibus rebus naturalibus; quocumque studio homines acquirere possunt, ad minusque perfectam scientiam naturalem per accidens infusam, qualem habuit Salomon. An autem habuerit scientiam supernaturalem per se infusam philosophiæ naturalis, & moralis, qualem habuit Christus Dominus, omnino ignoramus.

31 *Dicendum ergo I.* quod Adam cognovit Deum scientia naturali, & ejus perfectiones, quantum fas est studio humano. *Et prob.* Nam Adam per scientiam naturalem per accidens infusam cognovit quidquid cognovere Philosophi quippe ejus scientia perfectior fuit scientia Philosophorum; sed plures Philosophi cognovere Deum, & ejus perfectiones, quantum cognoscibiles sunt ex creaturis: ergo id ipsum cognovit Adam.

32 *Dicendum II.* quod non cognovit Adam Angelos in se ipsis per hanc scientiam: nam per scientiam naturalem in se ipsis cognosci non possunt; sed solum cognovit eos, quantum ex naturalibus cognosci possunt. Ex quo & sequitur, nec cognovisse secreta cordis, nec futura contingentia: quia (ut diximus, agentes de Angelis) hoc est proprium solius Dei, & per scientiam naturalem hæc nosci non possunt.

33 *Dicendum III.* quod Adam cognovit Deum remuneratorem &c. per fidem theologicam: quia sine fide impossibile est placere Deo; sed Adam creatus est in gratia, & sancti-

sanctitate, ut postea dicemus; ac proinde placens Deo: ergo Deum cognovit remuneratorem, & explicitè quidquid ad hunc articulum pertinet. Dubium tamen est, an per fidem cognovit Deum ut trinum in Personis. Sanctus Epiphanius id docet, & plures Theologi id pie credunt, Mysterium Trinitatis Sanctissimæ illi revelatum: quia decebat, quod primus Parens, Doctor, & Magister generis humani Deum per fidem cognosceret, uti est in se: & cum in se sit trinus, decens erat, quod ut talem cognosceret. Caterum Adam non vidit clarè, & intuitivè Deum, ut docet Thomassinus, & alii pauci. Tum quia Adam erat viator; viator autem non videt Deum. Tum quia videns Deum est impeccabilis, & Adam erat peccabilis. Dices tamen cum aliquibus, quod esto Adam non viderit Deum permanentè; vidit Deum per modum transeuntis, quando sopore fuit circumfusulus à Deo, sicut dicitur de Moyse, & Apostolo Paulo. Hoc tamen voluntariè dicitur, & idèò despiciendum.

34 *Queritur autem*, an Adam cognoverit per fidem Mysterium Incarnationis. Sunt, qui affirmant revelatum illi hoc Mysterium; non tamen causam finalem illius, scilicet hominum redemptionem in sententia Divi Thomæ; sed solum ut complementum universi. Qui sunt alieni à sententia Divi Thomæ, docent revelatum illi in quantum Christus fuit decretus causa moralis gratiæ hominum, & Angelorum. Hac in re sane obscurissima, nec Scripturæ, nec PP. invenio testimonia. Nam etsi Adam dixerit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: propter hoc derelinquet homo patrem, & matrem*: & de his verbis dicat Apostolus ad Ephes. cap. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia*: ubi videtur dicere, quod præfigurabat unionem Christi cum Ecclesia, & consequenter cognovit Christum: affectu Divi Thomæ docent, quod Adam non cognovit suam conjunctionem cum Eva, quatenus præfigurativam Christi, & Ecclesiæ; sed solum quatenus matrimonium, quod in Ecclesia per Christum est unum ex septem Sacramentis: ac de hoc agitur Tract. de Incarnatione.

25 *Ex dictis sequitur*, quod Adam non solum habuit fidem theologicam supernaturalem de Deo, sed etiam habuit

spem theologicam supernaturalem : quia ut ait Apostolus ad Hebræos cap. 11. *Fides est sperandum substantia rerum;* & consequenter, quod hoc ipso, quod habuit fidem, habuit etiam spem: quia ut ait Apostolus: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & remunerator est.* Ulterius, quia Adam fuit viator in ordine ad ultimum finem, ad quem à Deo creatus est; sed viatores tendunt ad ultimum finem per spem theologicam: ergo Adam viator in illum tendit per theologicam spem.

36 *Queritur tandem, an Adam præsciens fuerit sui casus?* Et Resp. communiter quod non. *Ratio autem est*, quia Adam creatus est in felicitàte naturali, ut docent Theologi; sed cum illa non componitur præscientia sui casus; quippe non posset Adam cum præscientia sui casus non contristari: ergo non fuit præsciens illius.

37 Quantum ad Evam *dicendum*, quod etsi habuerit eandem fidem, & spem, quam habuit Adam, licet fortasse ejus fides explicita non fuerit tam extensa sicut Adam in ordine ad naturalia, non habuit eandem cognitionem cum illo; sed solum illam, quæ communem matrem viventium decebat: quippe ipsa non est constituta Magistra generis humani, sed solus Adam.

38 Posterius autem Adam, si non peccasset, non nascerentur cum scientia; licet nascerentur cum gratia, & iustitia originali; sed scientias acquirerent experientia, & studio, sine corporis molestia.

ART. V. *An Adam fuerit Salomone sapientior?*

39 **S**alomonem sapientia præstitisse Adamum tenuit Abulensis; verum communiter Theologi id negant: quia Adam habuit scientiam omnium rerum naturalium per accidens infusam à Deo, ut pote primus parens; & Magister generis humani (ut jam dictum) alias per fidem cognovit plura mysteria supernaturalia, quæ latuere Salomonem: ergo etsi in scientia naturalium fuerint æquales; Adam præcelluit scientia Salomonem.

Nec

40 *Nec obest* quod lib. 3. Reg. cap. 3. dicitur, quod Deus dedit illi cor sapiens & intelligens, ita ut nullus ante ipsum fuerit ei similis, nec post illum surrecturus sit. & cap. 4. quod *præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium & Aegyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus.* Non, inquam, *id obest*: quia primo loco loquitur de Salomone comparative ad alios homines, qui proprio labore & studio scientias compararunt; non verò de Adam, aut Christo, qui fuit plusquam Salomon, quippe Adam non proprio studio; sed Divina largitate, & infusione omnium scientiam comparavit. Secundo autem loco solum dicitur, quod erat sapientior cunctis hominibus, qui tunc existerant.

ART. VI. De donis & gratis Adami.

41 **S**icuti certum est, quod Adamus in sua creatione præditus fuit anima rationali & intellectu: ita certum, quod præditus fuerit voluntate & libero arbitrio; quippe sine illis peccare non posset, & est fide certum peccasse. Iridem fide est etiam certum, quod ante peccatum gratiam habuit sanctificantem, & iustitiam originalem, quæ per peccatum perdidit: ita Concilium Tridentinum Sess. 5. de peccato originali Cap. 1. & aliis locis.

42 His suppositis *quæritur*, an Adam in primo instanti sui esse acceperit gratiam? Fuere, qui tenuere Adamum aliquantulum temporis fuisse sine gratia. *Verum* jam communiter Theologi secuti plures PP. docent Adam præditum gratia & sanctitate in primo instanti sui esse. De potentia nullus dubitare potest, unde quæstio est facti. *Communis Sententia prob.* ex illo Ecclesiast. cap. 7. *Deus fecit hominem rectum*: rectus autem phrasi Scripturæ idem est, ac iustus & gratus Deo, ut Job cap. 1. *Erat via simplex & rectus*: & Psalm. 32. *Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio*: ergo Deus creavit Adam in iustitia, & gratia. Verum hic locus est indefinitus, quia non assignat differentiam temporis, pro quo factus est iustus: de qua est difficultas.

43 *Potius autem probatur* ex auctoritate PP. ac præcipue Augustino pluribus locis. Deinde quia si Angeli receperunt

re gratiam sanctificantem in primo creationis instanti, potuit Deus & illam pro illo instanti Adamo conferre, & congruum Deo & homini ejus collatio. Nam ejus posterius si non peccasset, futuri erant Justii in primo instanti. *Nec obest dicere*, quod Adam prius est constitutus in ordine naturali, quam in ordine supernaturali; quia hoc solum est verum de ordine causalitatis, sicuti dicitur: *prius est esse, quam operari*; non tamen de ordine temporis: nam sol in instanti quo extitit, illuminavit.

44 *Itidem queritur*, an Adam habuerit gratiam per propriam dispositionem. Similis quaestio versatur de Angelis: videantur ibi dicta. Nam Deum dare gratiam sine propria dispositione, commendat liberalitatem ex parte dantis; dare autem illam per propriam dispositionem, commendat modum ex parte recipientis: utroque modo potuit Deus conferre; at quo modo contulit, nec elicitur ex Scriptura, nec ex PP. quanquam habeamus, parvulis per baptismum conferri gratiam sine propria dispositione, & peccatoribus adultis non conferri gratiam sine propria dispositione per Sacramentum Poenitentiae.

45 *Ex dictis elicitur* Adamum antequam peccaret, habuisse habitum charitatis, qui vel est idem cum gratia, vel ab illa inseparabilis, & habuisse habitus supernaturales virtutum moralium, qui comitantur gratiam. Quo autem gradu & perfectione, non est hominis nosse.

ART. VII. *An Adam simul cum gratia acceperit justitiam originalem?*

46 **C**UM in homine sint duae cognitiones, una sensibilis, & alia intellectualis: ita & sunt duo appetitus, unus sensitivus, alter intellectualis. Sensitivus movetur ex bono sensibili apprehenso; & ideo pluries suo motu antevertit actum intellectus & voluntatis, hujusque imperio reluctatur, ut equus, qui sessori resistit, stante moderamine frani.

47 Hoc experimur in nobis: & hoc docuit Apostolus cum

cum ait ad Rom. cap. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.* Et ad Galat. cap. 5. *Caro enim concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur.* Exindeque emanavit, phrasis Scripturæ, qua secernitur homo carnalis & animalis, ab homine spirituali & rationali: lex carnis, & lex spiritus. Cum ergo appetitus sensitivus in nobis & præveniat rationem, & non sit perfecte ei subiectus, sicuti in nobis manus in suo motu: certum est inter Catholicos, quod Adam ante peccatum habuit appetitum sensitivum omnino subiectum rationi, ita ut non posset rationem prævenire, nec rationi reluctari; sed omnino erat subiectus illi; ita ut nisi ex ejus imperio motum ullum non posset habere.

48 *Prob. I.* quia concupiscentia, quæ est appetitus sensitivus, & ab Apostolo dicitur *peccatum*, quippe ad peccatum inclinatur, inest nobis ex peccato Adami, ut docet Concilium Tridentinum Sess. 5. *quia ex peccato est, & ad peccatum inclinatur*: ergo si ex peccato est, ante peccatum non erat in Adamo. *II.* quia Adam creatus est omnimoda naturali felicitate; sed hoc non posset stare, nisi appetitus sensitivus esset omnino subiectus rationi: ergo ejus appetitus sensitivus erat omnino subiectus rationi. *III.* ex longa PP. & Theologorum recensione.

49 *Dices*: appetitus sensitivus est homini naturalis, & naturales ejus motus, manetque in nobis, quia peccatum Adami non destruxit naturam: ergo etiam fuere in illo. *Respondetur*, quod in Adamo fuit appetitus sensitivus; sed non inordinatus, sicut in nobis; sed plene subiectus rationis imperio, & hoc non beneficio naturæ, sed speciali beneficio Dei, quo erat coercitus & frænatus, ut in motus inordinatos prodiret; licet hi naturaliter competant ei, considerato secundum se præcisè.

50 Hæc autem subiectio appetitus ad rationem simul cum gratia dicitur *justitia originalis*, quam Adam peccando perdidit non solum pro se, sed & pro suis posteris: quapropter remoto prohibente, mansit in nobis appetitus sensitivus potens prodire naturaliter in motus & antevertentes rationem, & inordinatos; ad modum quo lapis ablato obstaculo

naturaliter descendit in centrum : & quia inclinatur in peccatum , & per peccatum inest nobis , sine fræno originalis justitiæ dicitur ab Apostolo *peccatum , corpus , & lex peccati &c.* Quod est valde notandum pro intelligentia ipsius epistolæ ad Rom. & aliis locis.

51 *Sed quæris*, quod fuerit constitutivum justitiæ originalis in Adamo , seu quid fuerit in Adamo , per quod fuit ejus appetitus omnino subiectus rationi , ita ut non posset antevertere rationem , & solum ad ejus nutum moveri ? Hac in re diversæ sunt sententiæ. *Plures censuere*, nihil aliud fuisse justitiam originalem Adami , quam gratiam sanctificantem , & virtutes supernaturales theologicas , & morales , quibus in totum subiciebatur rationi , & Deo. *Verum hoc videtur à veritate alienum*. Nam gratia , & virtutes supernaturales Adami fuere ejusdem speciei , ac habent homines in statu naturæ lapsæ ; sed nunc in hominibus gratia , & virtutes supernaturales non habent virtutem compescendi primos motus appetitus , ita ut rationem non præveniant : ergo nec illam habuere gratia , & virtutes supernaturales , quæ fuerunt in Adamo.

52 *Propter hoc alii dixerunt*, originalem justitiam fuisse donum quoddam supernaturale superadditum gratiæ , & virtutibus , quo appetitus sensitivus ante ordinationem rationis non potuit illi reluctari. *Attamen* cum habitus , & dona supernaturalia dentur præsertim creaturæ ad operandum , non videtur poni debere ad non operandum ; sed appetitum non prævenire rationem , nec ei reluctari , est non operari : ergo ad non præveniendam rationem , nec ei reluctandum , non est ponendum donum supernaturale per modum habitus.

53 *Dicendum nobis* (salvo aliorum judicio) justitiam originalem Adami sitam fuisse in gratia , & virtutibus , quæ ipsam comitantur , & cum ipsa deperduntur cum carentia Divini concursus simultanei , aut Divinæ annuentiæ omnino necessariæ , ut creatura operetur. *Ratio autem est*, quia deficiente concursu simultaneo , aut Divina annuentia , creatura non potest operari : ergo his deficientibus nec appetitus potest prævenire rationem , nec potest ei reluctari. *Ant. est verum , & Conseq. legitima* ab universali ad particularem contentam sub universali.

54 *Sed dices*: Deum negare suum concursum creaturæ ad operandum est quid miraculosum, ut patet in igne fornacis Babylonis, qui tres Dei servos non combussit; sed in statu innocentie Adami, licet fuerint supernaturalia plura, nihil debet poni miraculosum: ergo pro asserenda justitia originali Adami non est ponenda negatio concursus simultanei, aut annuentie Divinæ voluntatis.

55 *Resp.* quod in hac providentia Deum negare suum concursum causis creatis, ne operentur, est quid miraculosum: & idem dicendum de Divina annuentia, aut voluntate; at in providentia constituendi hominem in statu justitiæ originalis, modo quo diximus, id non fuit miraculosum, quippe id fuit debitum illi statim; cum nullo alio modo commodè fieri posset, ut nec appetitus anteverteret rationem, nec posset rationi reluctari: pro quo theologica exempla superflunt. *Et notandum tandem*, quod si Adam non peccasset, posterius ejus nascerentur cum hac justitia originali, quam per peccatum perdidit. De gratia operante Jansenius docuit in primis parentibus pro statu innocentie fuisse indifferentem; ceterum post lapsum fore efficacem ea efficacia, quam jam diu damnavit Ecclesia.

ART. VIII. *An in statu innocentie potuerit esse error, aut deceptio? hoc est, an non peccante Adamo, posterius ejus, qui nascerentur cum justitia originali, possent decipi, & errorem pati?*

56 **P**Artem negativam tenent Thomistæ, & alii; sed alii affirmativam tenent, supponendo, quod ex parte appetitus sensitivi talis deceptio non potuit oriri.

57 *Dicendum*, quod in statu innocentie Adæ posterius possent pati deceptionem, & errorem. *Prob. I.* Quia Eva producta fuit in statu justitiæ originalis; & nihilominus passa est errorem, & seductionem: ergo & posterius ejus nati in justitia

originali errorem, & deceptionem pati possent. *Conseq. tenet, & Ant. prob.* ex ejus confessione: *Serpens decepit me.* Genesis cap. 3. Ex quo Apostolus 2. ad Corinth. cap. 11. *Timeo autem, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua &c.* Et 1. ad Timoth. cap. 2. *Adam non est seductus; mulier autem seducta in pravaricatione fuit;* seduci autem nihil aliud est, quam errorem pati: ergo Eva in statu justitiæ originalis passa est errorem, & seductionem.

58 *Dices cum Auctoribus oppositis*, quod Eva verè seducta est à serpente, seu Diabolo per eum loquente; sed tamen antequam deciperetur, peccasse per internam elationem, seu peccato superbiæ, & idè decipi potuisse; at verò in statu justitiæ originalis, qui nati fuissent cum illa, nisi ante peccassent, illamque deperderent; errorem pati non possent, hoc est, possent decipi in sensu diviso justitiæ originalis, sed non in sensu composito illius.

59 *Sed contra stat.* Nam dato quod solutione innuitur juxta hos Auctores: Eva peccavit ante seductionem peccato elationis, & superbiæ: ergo & ante hoc peccatum passa est errorem aliquem in statu justitiæ originalis. *Prob. Conseq.* Quia juxta communem Thomistarum sententiam non potest esse peccatum in voluntate, nisi præcedat aliqualis error in intellectu; sed Eva ante seductionem peccavit peccato elationis, & superbiæ: ergo in ejus intellectu præcessit aliqualis error: ergo in statu justitiæ originalis fuit capax erroris, & seductionis.

60 *Prob. II.* Nam qui nati forent in statu justitiæ originalis, non haberent scientiam infusam, nec per se, nec per accidens; sed eam compararent proprio studio, ac labore, eam discendo à Magistro; at in eo statu poterat Magister ex malitia fallere; quippe eo statu erat potens peccare mortaliter, poteratque discipulus credere: ergo eo statu poterat discipulus pati errorem.

61 *Confirm.* Quia eo statu foret communicatio politica inter homines non impeccabiles: ergo posset unus mentiri, & alter credere, ut si alium interrogaret de actu interno, aut de re distante; sed qui credit mendacio, patitur errorem: ergo in eo statu posset homo errorem pati. *Nec valet, si dicas.*

Deum

Deum tunc impediturum mendacium; nam Deus in statu justitiæ originalis non impedit mendacium Dæmonis, ne Eva seduceretur: ergo ex vi status non erat obligatus ad impedendum mendacium, & seductionem.

62 *Sed arguitur.* Status justitiæ originalis excludebat omne malum corporis, atque etiam omne malum animæ: cum esset status omnino beatus; sed error, & seductio est malum animæ: ergo status justitiæ originalis excluderet errorem, & seductionem.

63 *Resp.* quod status justitiæ originalis in sensu composito illius excludebat omne malum corporis in homine; quia Deus eo statu voluit hominem constituere immortalem, seu mortis extorrem; sed non voluit constituere incapacem mali physici, aut mali moralis ex parte animæ; quia non constituit eum incapacem mali moralis peccati, ut patet in primis parentibus: voluit enim Deus in illo statu non privare libero arbitrio hominem; & sicut in illo statu non voluit homines pollere omni scientia, sed pati ignorantiam; ita & voluit ex parte intellectus homines sub eo statu pati errorem, & seductionem, quæ in se ipso solum est malum purè physicum compossibile cum salute animæ; quia ea est natura intellectus humani non illustrati scientia divinitus data: ex quo facile est respondere in forma.

ART. IX. *An in statu justitiæ originalis posset homo peccare?*

64 **D**Uplex peccatum est mortale, & veniale: de mortali non est dubium, quippe primi parentes conditi sunt in justitia originali, & peccarunt mortaliter, ut est fide certum: ergo & posterius ejus sub eo statu posset peccare mortaliter; quia ad hoc non habituri erant aliud privilegium, quam habuere primi parentes. Unde tota difficultas est de peccato veniali. Pro quo supponitur, quod pro eo statu non posset homo peccare venialiter ex motione appetitus sensitivi; nam eo statu (ut diximus) non poterat rationem prævenire, aut eam implere. In quo pro parte negante

sunt plures Theologi, suntque etiam plures pro parte affirmante.

65 *Discendum nobis*, quod homines in statu iustitiæ originalis poterant venialiter peccare. *Prob. I.* Quia eo statu poterat homo peccare mortaliter: ergo & venialiter. *Ant. est certum & Conseq. prob.* Nam qui potest ad magis, potest ad minus; sed peccatum veniale est minus peccato mortali: ergo si pro eo statu posset homo peccare mortaliter, posset & venialiter peccare.

66 *Prob. II.* Quia homo pro eo statu erat viator, & liber in observandis præceptis tam in materia gravi, quam in materia levi; aliàs non mereretur in observantia præceptorum in materia levi, nec haberet plenam libertatem; sed habens libertatem adimplendi præceptum in materia levi, habet libertatem & potestatem non adimplendi: ergo homo pro eo statu habuit potestatem non adimplendi præceptum in materia levi: sed potestas non adimplendi præceptum in materia levi est potestas peccandi venialiter: ergo pro eo statu posset homo peccare venialiter.

67 *Dices cum aliquibus*, quod licet homo pro eo statu habuerit potestatem & libertatem non adimplendi præceptum in materia levi, quantum est ex se; tamen ratione circumstantiæ personæ constitutæ in eo statu, peccatum leve non maneret in linea levis; sed transiret in lineam peccati gravis: ac proinde pro eo statu nunquam posset homo peccare solum venialiter.

68 *Sed Contra est*: Quia omnino falsum est, peccatum veniale transire in mortale, præcise ob dignitatem & statum personæ, seclusa alia quacunque obligatione; aliàs levissimum mendacium in Papa, aut Episcopo esset peccatum mortale ratione dignitatis & status, quod nullus rationabiliter asserere potest: ergo nec dignitas nec status iustitiæ originalis potuit transferre peccatum veniale in mortale. *Conf.* Quia dignitas gratiæ sanctificantis major est, quam dignitas iustitiæ originalis; sed dignitas gratiæ sanctificantis non transfert peccatum veniale in mortale (aliàs iusti nunquam possent peccare venialiter) quod asseri nequit: ergo status & dignitas iustitiæ originalis non potest transferre peccatum veniale in mortale. *Prob.*

69 *Prob. III.* Quia in statu justitiæ originalis nihil est impossibile cum peccato veniali : ergo in eo statu posset esse peccatum veniale. *Consequentia tenet, & Ant. prob.* Nam in eo statu solum esset gratia sanctificans, virtutes supernaturales, aliave dona illis similia; sed neque gratia sanctificans, neque habitus supernaturales, aliave dona sunt impossibilia cum peccato veniali, ut constat; quia homo præditus intensissima gratia, & habitibus supernaturalibus & donis, potest venialiter peccare: ergo in statu justitiæ originalis nihil esset impossibile cum peccato veniali.

70 Propter hæc Suarez, Vazquez, & alii fatentur in statu justitiæ originalis nihil fuisse in homine impossibile cum peccato veniali. Cæterum sicut extrinseca providentia Dei in illo statu esset homo liber à morte violenta; ita in illo statu esset homo liber à peccatis venialibus extrinseca Dei providentia, quia hoc exigebat felicitas illius status.

71 *Sed Contra hoc est:* Quia felicitas illius status non exigebat, quod Deus hominem præservaret à peccato mortali, quod est majus malum: ergo nec quod præservaret à peccato veniali. *Deinde* quia felicitas illius status non abstulit libertatem custodiendi, vel non custodiendi præcepta in materia levi: ergo poterat non custodire. *Tandem:* quia dicere, quod status ille non permetteret peccatum veniale, est plane petitio principii: quippe est, de quo disputamus.

72 *Arg. I.* Homo in statu justitiæ originalis non posset peccare venialiter ex subreptione appetitus sensitivi, nec ex in deliberatione, ut jam dictum: ergo solum posset peccare ex deliberatione & malitia, ac contemptu legis; sed peccatum ex malitia & contemptu legis est peccatum mortale: ergo in eo statu nullum esset peccatum veniale.

73 *Resp.* Quod peccatum ex malitia in materia levi, non transit in mortale: aliàs peccatum otiosi verbi *Ex. Gr.* ex plena advertentia & malitia, semper esset peccatum mortale: quod nullus dixit. Peccatum omne intrinsece claudit interpretative contemptum legis: nam qui unum alteri præfert, contemnit alterum virtualiter & interpretative, juxta illud Christi Dom. *Aut enim unum odiet, & alterum diligit; aut uni adharebit, & alteram contemnet:* uti omne includit

inobedientiam legis ; sed sicut non omne peccatum est formaliter inobedientia , sed solum id , quod est oppositum virtuti obedientiæ ; ita non omne peccatum est formalis contemptus legis ; & ideo peccatum , quod non est formalis contemptus legis , sed solum virtualis ; de veniali non transiret in mortale in statu iustitiæ originalis.

74 *Arg. II.* status iustitiæ originalis esset status omni felicitate plenus ; sed status felicitate plenus excludit peccatum veniale : ergo in eo statu non posset esse peccatum veniale. *Maj. est* D. Augustini lib. 14. de Civitate Dei cap. 10. & de Correctione & gratia cap. 11. & *Min. prob.* Nam plena felicitas excludit omne malum ; sed peccatum veniale est malum morale : ergo excluditur à plena felicitate , quæ includitur in statu iustitiæ originalis.

75 *Resp.* Quod status iustitiæ originalis esset status omni felicitate plenus , quantum ad corpus ; sed quantum ad animam non erat omnino adæquate felicitate plenus : erat enim status ille felicitate plenus ex parte actûs primi & potentiae : quia in illo per gratiam & virtutes poterat homo vitare omne malum morale ; sed cum status ille esset status viatoris , & non comprehensoris , erat status tendentis libere in ultimum finem : quia homo in illo non esset confirmatus in gratia , & posset mortaliter peccare : Si ergo posset mortaliter peccare , status ille non esset adæquate felix , sicuti est status beatorum ; atque adeo status ille non erat impossibilis cum levi malo morali , quale est peccatum veniale. Et nos credimus eo in statu futuram aliquam saltem levem tristitiam , ut de translatione parentum in filiis , vel amicorum : Si ergo status ille admitteret aliquam levem tristitiam (& maxime de offensis Dei) cur non potest dici , quod admitteret aliquod malum morale leve in genere suo ? Nec D. Augustinus locis citatis aliud edocet , quam plenam felicitatem corporis pro illo statu , ut legenti constabit.

76 *Arg. III.* Quia in statu iustitiæ originalis nulla posset esse poena : ergo in eo non potuisset esse peccatum veniale. *Ant. videtur certum ex felicitate illius statûs. Consequentia prob.* Nam peccatum veniale habet adjunctam poenam , cum sit contra legem ; sed in statu iustitiæ originalis nulla esset

esset pœna : ergo in eo nullum posset esse peccatum veniale.

77 *Resp. ad hoc argumentum multis deficere. I. Quia licet in statu iustitiæ originalis nulla posset esse pœna gravis ; potuisset esse aliqua pœna levis , quæ non officeret facultati status , nisi secundum quid : sicuti ei , qui studio & oratione est in statu perfectionis , non obest aliqua imperfectio actualis. II. Quia dici potest , quod licet peccanti venialiter pro eo statu responderet pœna ; non responderet pœna luenda pro eo statu , quo esset in capax pœnæ , uti docent contrarii , sed luenda esset in transitu ex hac vita , sicuti animæ Purgatorii luunt pœnas debitas peccatis , pro quibus non satisfacere in hac vita. Alii docent , tunc constitutos in eo statu posse mereri , & satisfacere de condigno pro tali pœna , & sic pœnam evadere ; cæterum cum Deus nulli sit debitor nisi ex pacto , & de hoc non constet pro illo statu ; melius est præfatis modis respondere.*

78 *Ex dictis inferitur , quod posteri Adam pro eo statu non essent confirmati in gratia , cum possent peccare mortaliter ; non enim licet asserere hoc privilegium concessum Adami posteris , quod ipsi non est concessum.*

ART. X. *An in eo statu posteri Adam peccantes mortaliter , amitterent donum iustitiæ originalis inadequate sumptum , hoc est , subjectionem appetitus ad rationem , & immunitatem à morte , & à malis corporalibus?*

79 **P**Auci tractant hanc quæstionem. Pro parte affirmativa videtur stare : quod amisso principali , amittitur accessorium ; sed in iustitia originali principale est gratia , quæ per peccatum mortale amittitur , & huic accessorium est , subiectio appetitus ad rationem , mortis exemp-

tio, &c. Ergo in eo statu amissâ gratiâ, amitteretur subjectio appetitus ad rationem, &c.

80 Attamen pro parte negativa stat; nam pactum Dei cum Adam de conservanda justitia originali inadæquate sumpta, ligatum erat ad præceptum non comedendi de arbore interdictâ, ut videtur constare ex illo Genesis cap. 2. *In quo- cumque enim die comederis ex eo, morte morieris*: unde Adam non comedens de arbore vetita, etsi peccaret mortaliter alio genere peccati mortalis, licet amitteret gratiam personalem; non illam amitteret, nec justitiam originalem pro suis posteris; ergo similiter licet posterius amitterent peccato mortali pro se gratiam; non amitterent justitiam originalem inadæquate sumptam.

81 *Urgetur* quia si amissâ gratiâ amitteretur justitia originalis inadæquate sumpta, posset quis certo esse in gratia, quia non experiretur rebellionem, & mala corporis, quæ experiretur peccans mortaliter: & ita esset genus humanum ex mortalibus & immortalibus mixtum; quod mihi videtur non conveniens: ergo amissâ gratiâ non amitteretur justitia originalis.

82 Ad fundamentum oppositæ sententiæ *Resp.* quod sicut amissâ gratiâ in peccatore, non amittuntur habitus fidei, & spei per peccatum mortale, non oppositum ipsis; quia non connectantur physice cum illa; ita perseveraret justitia originalis in peccatore; quia per se non haberet connexionem physicam cum gratia. An in eo statu subesset locus poenitentiae? Ignoramus: Angelis peccantibus Deus non pepercit; pepercit autem Adam peccanti.

ART. XI. De Primi Parentis immortalitate.

83 **P**elagius teste D. Aug. lib. de Hæresibus cap. 88. & aliis, assererat Adam creatum à Deo mortalem, ita ut transgrediretur præceptum, aut non transgrediretur præceptum, per principia intrinseca naturæ subiret mortem.

Dicen-

84 *Dicendum* fide Catholica certum esse Adam productum à Deo immortalem, non omnino absolute & in omni eventu, sed conditionatè; ita ut si non transgrederetur præceptum à Deo impositum, de non comedendo de fructu arboris vetitæ, ipse & ejus posterì essent immortales. I. ex cap. 2. Gen. illis verbis: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*: ergo si non comederet, non moreretur: ergo antequam comederet, non erat moriturus: ergo creatus est à Deo immortalis. II. ex illo Sapientiæ cap. 2. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum*: ergo non introisset, si Adam non peccasset. III. ex Apost. ad Rom. cap. 5. *Sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum: & per peccatum mors*. Et cap. 8. *Corpus mortuum est propter peccatum*: ergo Adam ante peccatum creatus est expers mortis, & consequenter immortalis. IV. quia sic definitum in Concilio Milevitano Can. 1. & communi consensu PP.

85 *Queritur* ergo, quomodo primus parens factus sit immortalis? Supponimus Adam non factum immortalem eo modo, quo erunt immortales beati post resurrectionem; quia ad sui conservationem non egebunt alimento; Adam autem factum immortalem medio alimento hujus rei gratiâ. *Produxitque Deus* (Genesis cap. 2.) *omne lignum pulchrum visu, & suave ad vescendum, lignum etiam vite in medio Paradysi*. Et etiam: *Ex omni ligno Paradysi comede*. Et Eva respondens serpenti: *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur*. Ex quo apparet, quod Adam vitam erat conservaturus dependenter ab alimento; sed quia calor naturalis ipsa alimenti transmutatione deteritur, & minuitur, ne hac de causa moreretur, *produxit lignum etiam vite in medio Paradysi*, Genesis cap. 2. Dictum *vita*, quia mediante comestione ejus fructus, calor naturalis omnino repararetur, ac sic primus parens nec senium, nec mortem sentiret.

86 Ruperrus Abbas in ea fuit opinione, quod fructus arboris vitæ semel comestus, indemnem conservaret calorem naturalem, qui decoqueret etiam omnes noxios humores, quo absolute maneret homo immortalis. Cui videtur suffragari illud Genesis cap. 3. *Ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vite, & comedat, & vivat in æter-*

num. Verum Divus Thomas, ac plures Theologi censent illud, *vivat in æternum*, non accipiendum pro æterno à parte post absolute; sed pro longo tempore, quod usitata Scripturæ phrasi æternitatem solet significare; atque ad eò tenent fructum arboris vitæ solum comestione frequenti præservaturum hominem à corruptione, & morte. *Ratio autem eorum est*, quia virtus fructus arboris vitæ non erat infinita: ergo solum duraret finito tempore: ac per consequens eo finito, necesse esset iterum comedere ad protrahendam vitam, vitandamque mortem.

87 *Subest tamen ingens difficultas.* Nam si Adamus non peccaret, comedens fructum arboris vitæ; non dubium, quin ejus filii, & posterii essent immortales, & non per fructum arboris vitæ: quia propagati incolerent diversas terras, ex quibus non erat facilis recursus ad Paradysum, ubi erat arbor vitæ: *ergo dicendum* non futuros immortales, quousque comederent de fructu arboris vitæ, aut antequam comederent, natos esse immortales, uti productus est Adam à Deo, antequam comederet de fructu arboris vitæ. *Ad quod accedit*, quod infantes recenter nati, essent immortales ante comestionem fructus arboris vitæ: ergo immortalitas antecedens non erat effectus fructus arboris vitæ. *Uterius.* Ignoratur, an primi parentes comederint de fructu arboris vitæ, antequam peccarent: nam meo judicio hoc non est expressum in Sacra Scriptura; demus ergo comedisse paulò antequam peccarent, jam post peccatum per totum illud tempus, quo producebant vitam, fructus talis arboris non essent obnoxii mortis: quod est contra illud: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*: ergo immortalitas non fuit effectus naturalis arboris vitæ.

88 *Propter hac censeo dicendum*, quod fructus arboris vitæ erat suavissimus, & dulcissimus, aptissimusque ad producendam, & dilatandam vitam, & ab hoc effectum sic denominatam hujuscemodi arborem, quæ à Deo in medio Paradysi fuit producta pro deliciis gustus primorum parentum; cæterum immortalitatem, & impassibilitatem illorum, & posterorum ejus non provenisse ex illa adæquatè; sed sitam fuisse in decreto Dei conservandi calorem, & humidum radicale,
sine

sine ullo detrimento, ac vi excoquendi quodlibet noxium; qua ratione careret homo principio intrinseco mortis: ac si Adam non peccasset, ubicumque nascerentur ejus posterij, nascerentur immortales: quippe ubicumque nascerentur, conservaret in eis sine aliquo detrimento principia vitæ; sicuti conservavit vestes, & calceamenta Israelitarum per quadraginta annos, quibus peregrinati sunt in deserto; atque adeo essent immortales quantum ad causam intrinsecam mortis, quæ post peccatum est nobis necessaria.

89. Caterum cum in nobis ultra causam intrinsecam necessariam mortis sint aliæ causæ illius, uti violenta manus alterius, ac voluntaria in se manus, ut illorum, qui se ferro confodiunt, se præcipitant, suffocantur aquis, igni se tradunt, milleque aliis modis pereunt; Deus in illo statu hujus generis mortes impediret, ex pacto inito cum Adam conservandi immortales ejus posteros, si non peccasset comedendo de fructu arboris vitæ.

90. *Ex quibus sequitur*, quod terminus viæ posterorum Adam pro illo statu esset translatio illorum ad præmium æternum, sive ad poenam æternam juxta cujusque meritum, aut demeritum.

ART. XII. Quomodo tunc propagarentur homines?

91. **R**esp. eodem modo, ac nunc propagandos: ideo enim Deus marem, & foeminam primos parentes creavit; hac tamen differentia, quod tunc appetitus sensitivus cum esset omnino subiectus imperio rationis, & voluntatis, uti nunc est motus manûs, non prodiret in motus non ordinatos à voluntate; atque esset cum delectatione, quæ naturaliter, & per se sequitur commixtionem maris, & foeminæ. *Ex dictis sequitur*, quod nec vir, nec foemina laborarent sterilitate, quia in eo statu natura esset integra, & nulla corporali infirmitate affecta.

92. *Sed queritur*, an tunc nascerentur par numerus masculorum, & foeminarum? *Resp.* hoc omnino incertum: nam

non

non constat foeminam ex unaque commixtione cum viro concepturam unam prolem, vel duas, aut aliquando unam, aliquando duas; & cum ex foeminis alia pluries uterum gererent, quam alia; non est unde possit adhuc conjecturaliter affirmari pro tunc parem futurum numerum masculorum, & foeminarum.

93. *Idem queritur*, an masculi, & foeminae essent pares viribus, & pulchritudine? *Resp.* quod tunc ex infirmitate nullus esset defectus virium, aut pulchritudinis, quippe in illo statu nulla esset infirmitas: attamen masculos, ac foeminas non futuros pares viribus, aut pulchritudine. *Ratio autem est*, quia proles in tantum pollet virtute corporali, in quantum pollet ea materia, ex qua formata est, ut constat experientia; sed materia, ex qua tunc formarentur proles, non essent aequalis virtutis: ergo proles ex ea formatae aequalis virtutis non essent. *Prob. Min.* Nam materia, ex qua formarentur proles, esset residuum alimenti in utroque parente; sed hoc non esset ejusdem virtutis in utroque parente, quia non omnes uterentur eodem alimento specifico, quantitate, & qualitate: ergo materia, ex qua tunc formarentur proles, non essent ejusdem virtutis.

94. An in statu iustitiae originalis futurum esset inter homines regimen politicum? Ex una parte videtur futurum: nam homo naturaliter est animal societatis amans, ac proinde politicae; at ex altera parte cum politica inventa sit ad salutem publicam tutandam, & arcendum mala corporis, & fortunarum, compescendosque cives poenae timore, cum hac locum non haberent in eo statu, cum homines essent immortales, & incapaces mali poenae; videtur non futuram pro tunc politiam. Hae & alia plura, quae nullius sunt fragis, & nihil praestant adificationi, consulto mittimus praedictis de causis.

95. *Queritur tandem*, an in eo statu omnes nascerentur praedestinati? Scimus ex dictis, quod homines in eo statu possent peccare mortaliter, sicut peccavere primi parentes; at hoc non obstante, an nascerentur praedestinati ad gloriam? Respondemus cum Apost. *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Ad Rom. cap. 11. Hae

enim humanum superant captum.

ART. XIII. De Peccato primi Parentis.

96 **I**nitium peccati primi parentis Adam fuit Dæmonis invidia. Sapientia cap. 2. *Invidia diaboli mors introiit in orbem terrarum*; qua per serpentem induxit Evam ad comedendum fructum arboris vetitum sub spe, quod non essent morituri: futurumque, ut fructum illum comedendo evaderent quasi Dii. *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut Dii, scientes bonum, & malum*, Genesis cap. 2. Eva decepta à Dæmone comedit, dedit Adam, qui comedit, ac transgrediens Divinum præceptum, perdidit pro se, & posteris gratiam, & gloriæ hereditatem, justiciam originalem, omniaque dona supernaturalia, quibus suo modo beatus creatus erat à Deo, mansitque passibilis, & necessariò subiacens legi mortis: *In quocunque ale comederis ex eo, morte morieris.*

97 **Quæritur** I. quod fuerit primum peccatum primi parentis? *Dicendum* cum communi SS. PP. & Theologorum sententia, primum primi parentis peccatum fuisse superbiam. *Prob. I.* ex illo Ecclesiastici cap. 10. *Initium omnis peccati est superbia*: idemque edocet Tobias cap. 4. *II.* quia illud fuit primum Adæ peccatum, ex cujus intentione de fructu vetito comedit; sed comedit de fructu vetito ex motivo superbiæ: ergo superbia fuit primum ejus peccatum. *Maj. est certa; Min. autem prob.* Nam Adam comedit de fructu arboris vetito ex intentione essendi suo modo sicut Deus: *Et eritis sicut Dii, scientes bonum, & malum*; sed velle esse sicut Deus quantum ad aliquid, quod non competit ei ex natura sua, aut ex Dei promissione, est formalis superbia, qua homo indebitè vult se supra se elevare: ergo Adam comedit de fructu vetito ex motivo superbiæ, & consequenter primum ejus peccatum superbia fuit.

98 *Sed exquires*, in quo voluerit primus parens Adam esse similis Deo? In primis certum est, quod non voluit esse similis Deo per æqualitatem; quia hoc cognoscebat impossibile, & voluntas efficax non potest tendere in impossibile. *Deinde.* Adam cognoscebat se factum ad imaginem, & similitu-

litudinem Dei, cognoscebatque itidem se similem Deo per gratiam, atque specialem similitudinem habere cum illo ratione dominii creaturarum: quærenda est ergo aliqua similitudo cum Deo, quam Adam non habuit, per quam indebitè voluit esse similis Deo.

99. Variæ sunt in hac re PP. & Theologorum sententiæ; attamen ex dictis constat, duas præcipuè similitudines cum Deo Adam appetere potuisse: una est Deum ipsum immediatè, & in se ipso cognoscere juxta illud: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*, Joannis epist. 1. cap. 3. Hanc autem similitudinem, cum Adam esset viator, cognoscebat per fidem non assequiturum pro status viæ; attamen dici potest, judicasse comestione fructus consequi posse. Caterum cum in hoc judicio necesse esset intervenire errorem; Auctores, qui docent quod Adam in statu justitiæ originalis non potuit pati errorem, ab hac difficultate sese debent expedire.

100. *Nos autem censemus*, aut appetisse similitudinem cum Deo in cognitione futurorum; judicando comestione fructus vetiti id assequiturum; id enim videntur denotare verba illa: *Scientes bonum, & malum*: id est, *bona, & mala futura*: quod cum sit proprium Dei, voluit se supra se elevare, aut appetisse foeliciorem statum promissum à serpente, licet ignorarit in particulari, qualis futurus esset: quapropter voluit se supra se elevare, & primo peccavit peccato superbiæ.

101. *Quæritur II.* quot alia peccata Adam comiserit præter peccatum superbiæ? *Dicendum etiam* peccasse peccato formalis inobedientiæ. Ita SS. PP. & Theologi. I. ex illo Apost. ad Rom. cap. 5. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi &c.* ergo etiam peccavit Adam peccato formali inobedientiæ. II. quia quando aliquid præcipitur præcisè ex motivo obedientiæ, illius transgressio est formalis inobedientia; sed Deus præcisè ex motivo obedientiæ præcepit Adamo, ne comederet de fructu arboris vetito: ergo comestio illius fuit formalis inobedientia: non enim SS. PP. aliam rationem assignant ex parte Dei ad præcipiendum Adamo, ne commederet fructum talis

arboris, cum permiserit vesci de fructu aliarum arborum, nisi experiri obedientiam Adam: unde ex motivo obedientiæ præcepit Adam, ne comederet de fructu talis arboris.

102 Plures PP. docent, etiam Adam comisſe peccatum gulæ comedendo de fructu vetito: nam gulæ vitium est inordinatus appetitus in ordine ad cibos: at appetitus illius cibi erat inordinatus, ut pote cibi vetiti à Deo: ergo etiam peccavit peccato gulæ. Etenim qui in die jejunii moderate vescitur carnibus, peccat peccato gulæ quia vescitur cibo interdicto & vetito per Ecclesiam.

103 *Quæritur III.* An Adam peccaverit peccato infidelitatis, & fidem amiserit? Plures PP. id constanter affirmant; at alii negant, ut videre est apud Bellarminum lib. 3. de Amissione gratiæ. *Dicendum* nobis Adamum peccando fidem non amisisse: *Prob.* Nam qui fidem negat, errore seducitur; sed Adam peccando non fuit errore seductus: ergo non negavit fidem, aut ab ea defecit. *Min. prob.* ex illo Apostoli ad Timoth. 1. cap. 2. *Adam non est seductus, mulier autem seducta in pravaricatione fuit.*

104 *Nec valet dicere*, quod Apost. solum negat quod Adam sit immediate seductus à Dæmone; sed non negat seductionem passum; quia non videtur intelligibile potuisse peccare sine seductione, cum appetierit esse similem Deo alio similitudinis genere, quo non potiebatur.

105 *Non*, inquam, id valet: nam Apostolus ut probaret, non convenire permittere, ut mulieres docerent in Ecclesia, attulit exemplum Adam non seducti, quando peccavit & mulieris seductæ; ad quod non serviebat prædictum exemplum, si Adam etiam fuit seductus, licet non immediate à Dæmone: ergo Adam non est passus seductionem peccando, nec fidem amisit.

106 Quomodo autem peccando non fuerit Adam seductus, difficillimum est explicare. Quidam cum D. Augustino docent, quod Adam credens moriturum si de fructu arboris vetiti vesceretur, voluit, ne contristaret Evam, morrem gerere ei: & sic peccavit, quin fidem amitteret; uti

nunc peccant plures, cognoscentes se per peccatum mortale eternam damnationem acquirere, & fidem non perdunt.

107 Attamen ex hoc dicendi modo *solum sequitur*, quod Adam comedendo de fructu arboris vetitæ, non fuerit seductus, quia sciens & volens de illo comedit, peccans peccato formalis inobedientia. Verum tamen cum primum ejus peccatum fuerit superbia, ut docent PP. & Theologi, & suo modo appetierit esse ut Deus: qua ratione irrisorie & per ironiam dixit ei: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*. Genesis cap. 3. circa objectum, quod inordinate appetiit, non potuit non pati errorem & seductionem, credens illud esse possibile. Propter hæc *videtur dicendum*, Adam passum errorem, sed non contra fidem; nam etsi appetierit excellentiam, quam dixerat, Daemon consecuturos Primos Parentes, si de fructu vescerentur vetito; non erat Adam revelatum quod talis excellentia erat impossibilis: unde errore ductus credidit possibilem, & ideo appetivit eam; sed cum error iste non esset contra revelationem, ideo non perdidit fidem.

Quæritur IV. Quanta gravitatis fuerit peccatum Adam? *Resp.* quod quantum ad gravitatem specificam, non fuit omnium gravissimum; nam solum fuit superbiæ, inobedientiæ formalis, &c. quo majus est odium Dei: & gravitas specifica peccatorum desumitur ex virtutibus, quibus opponuntur: unde Adam peccatum non fuit omnium gravissimum in specie. Caterum quantum ad nocumentum & damnum, quod intulit, fuit omnium gravissimum. Nam quando quis peccati alteri damnum inferendo, gravitas peccati desumitur ex quantitate damni & ex numero personarum, quibus damnum inferitur: at peccatum Adæ quantum ad damnum fuit gravissimum: nam subtulit sibi & posteritati gratiam & gloriam, quæ est supremum bonum creaturæ intellectualis; insuper omnia alia bona justitiæ originalis pro omnibus suis posteris in infinitum: ergo peccatum Adami quantum ad nocumentum & damnum fuit omnium gravissimum.

109. *Ex dictis sequitur* Adam gravius peccasse quam Evam: nam licet fuerit causa impulsiva ejus peccati; tamen peccatum Evæ fuit ex seductione serpentis; Adam ex plena advertentia: hujus peccatum peccatum capitis, & consequenter totius posteritatis; Evæ solum personale: nam si non peccasset Adam, ejus peccatum non noceret posteritati: unde peccatum Adam gravius fuit peccato Evæ.

110. *Quæritur V. An Adam Primus Patens consequutus fuerit vitam æternam?* Hæretici Encratitæ duce Tatiano discipulo S. Justinii Martiris docebant, primum parentem Adam propter peccatum æterna poena fuisse damnatum, ut referunt plures PP. Unde dicendum cum Ecclesia & PP. primum parentem media poenitentia consecutum à Deo veniam peccati, ac in gratia decessisse, consequenterque vitam æternam consecutum esse. Duabus partibus constat assertio: prima, quod fuerit consecutus veniam peccati, quæ prob. ex illo Sapientiæ cap. 10. *Hæc (id est Sapientia) illum, qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo*: id est à peccato mediante gratia, quia sic Deus peccata dimittit. Aliqui, quibus non erat certum librum Sapientiæ Canonicum esse, subdubitarunt de salute Adami, & remissione ejus peccati; hodie tamen cum de hoc dubitare non liceat, omnino ut certissimum tenendum est, Adamum media poenitentia obtinuisse remissionem peccati.

111. Secunda autem pars, quod Adam decessit in gratia & consequenter, quod suo tempore adeptus est vitam æternam constat ex Ecclesiæ traditione. Nam mox ut emergeret Encratitæ, damnati sunt ut Hæretici, ac proinde Epiphanius, Augustinus, ac cæteri hæreticorum nomenclatores, inter eos dinumerant, & Augustinus Epist. 99. ad Evodium ait: *Ecclesiam fere totam consentire, Christum cum ad inferos descendit, inde Adamum liberaffe*. Videantur Irenæus lib. 3. cap. 37. Tertullianus lib. 1. contra Marcionem. Hilarius in Psalm. 119. Nazianzenus Orat. 31. Epiphanius heret. 46. Hieronymus ad Ephesios cap. 1. Augustinus lib. 2. de Peccatorum meritis cap. 34. Gregorius Mag. & alii:

unde salus Adami de traditione Ecclesiae ab Apostolis edo-
ctæ descendit.

Attamen quia de Eva nihil docet aperte Scrip-
tura, sed PP. eodem modo loquuntur de ea, ac Adam:
ideò pie tenendum Evam similiter media poenitentia obti-
nuisse veniam peccati, & in gratia vita excessisse. Et

hæc de Deo creatore & primo rerum om-
nium principio, ad ejus laudem,
gloriam & hono-
rem.

FINIS SECUNDÆ PARTIS primi Voluminis.

SYLLABUS
DISPUTATIONUM, ET ARTICULORUM, QUI IN
altera primi Voluminis parte continentur.

DE DEO UNO, TRINO, ET RERUM OMNIUM
Creatore.

DISPUTATIO I. De Divina Omnipotentia. Pag. 1.

ART. I. *An Dei Omnipotentia sit quid distinctum ratione nostra ab essentia Divina, Divino intellectu, aut voluntate Divina?* pag. 3.

Art. II. *An Omnipotentia connectatur cum creaturis possibilibus?* pag. 5.

Art. III. *An aliqua creatura possit esse omnipotens?* pag. 11.

Art. IV. *An Deus possit facere infinitum in actu secundum numerum, quantitatem, aut qualitatem, seu intensiorem?* pag. 13.

Art. V. *De Deo Creatore.* pag. 14.

Art. VI. *An creare ita sit proprium Dei, ut nulla creatura creare possit, seu producere per creationem aliquem effectum?* pag. 15.

Art. VII. *An creatura possit esse causa instrumentalis creationis?* pag. 20.

Disp. II. *De Causalitate Dei cum causis creatis.* pag. 24.

Art. I. *An Deus simul cum causis creatis immediate, & per se concurrat effectivè ad earum effectus, & operationes?* pag. 25.

Art. II. *An Deus prædeterminet physicè causas creatas ad earum operationes?* pag. 32.

Art. III. *Solvuntur argumenta.* pag. 39.

Art. IV. *An Deus determinet causas creatas ad individuum effectus, & actiones?* pag. 41.

Art. V. *An Deus ex se, & per se prædefiniat actus liberos creature ante prævisum earum consensum, seu determinationem?* pag. 42.

Art. VI. *An Deus possit prædefinire infallibiliter aliquid conexum præsuppositivè cum peccato ante peccati prævisionem?* pag. 46.

Art.

Art. VII. *An Deus omnia creata prædefinierit ante eorum existentiam?* pag. 48.

Art. VIII. *An Deus omnium habeat providentiam?* pag. 51.

Disp. III. De Prædestinatione Justorum. pag. 53.

Art. I. *An Deus habeat voluntatem absolutam, veram, antecedentem salvandi omnes homines?* pag. 56.

Art. II. *An Prædestinatio Sanctorum ad gloriam sit ante, vel post prævisa merita?* pag. 58.

Disp. IV. De Angelis. pag. 70.

Art. I. *An Angelorum existentia demonstrari possit naturali lumine?* ibid.

Art. II. *An Angeli sint omnino incorporei, seu purè spirituales?* pag. 72.

Art. III. *An sit possibilis Angelus compositus ex materia spiritali?* pag. 75.

Art. IV. *Quando, & ubi sint Angeli creati?* pag. 77.

Art. V. *An Angelus sit natura sua incorruptibilis?* pag. 79.

Art. VI. *An Angeli possint numero multiplicari intra eandem speciem?* pag. 81.

Art. VII. *An de facto omnes Angeli sint ejusdem speciei?* p. 85.

Art. VIII. *Quanta sit multitudo Angelorum?* pag. 86.

Art. IX. *De loco, & motu Angelorum.* pag. 87.

Art. X. *Per quid sit formaliter Angelus in loco?* pag. 89.

Art. XI. *An Angelus habeat extensionem in loco?* pag. 97.

Art. XII. *An Angelus possit esse naturaliter in duobus locis?* pag. 100.

Art. XIII. *An plures Angeli possint esse in eodem loco?* pag. 101.

Art. XIV. *De Motu Angelorum.* pag. 102.

Art. XV. *An Angelus possit transire de loco in locum, quin transeat per medium?* pag. 103.

Art. XVI. *An motus Angelus possit fieri in instant?* pag. 106.

Art. XVII. *De Cognitione Angelorum.* pag. 108.

Art. XVIII. *An Angeli cognoscant futura?* pag. 111.

Art. XIX. *An Angeli cognoscant cogitationes cordium?* p. 113.

Art. XX. *An Angelus valeat certo cognoscere mysteria gratiæ?* pag. 114.

Art. XXI. *An Angelus possit cognoscere componendo, & discurrendo?* pag. 116.

Art.

- Art. XXII. *Qualiter Angeli loquantur?* pag. 118.
- Art. XXIII. *De Voluntate Angelorum.* pag. 123.
- Art. XXIV. *An Angelus in statu puræ naturæ possit peccare?*
pag. 127.
- Art. XXV. *An Angelus in primo instanti suæ creationis peccare possit?* pag. 131.
- Art. XXVI. *An voluntas Angeli sit mutabilis, & flexibilis natura sua?* pag. 139.
- Art. XXVII. *De Via, & termino Angelorum.* pag. 141.
- Art. XXVIII. *An Angeli creati sint in gratia, & sanctitate?*
pag. 143.
- Art. XXIX. *An Angelis data gratia ad mensuram perfectionis naturalis eorum? hoc est, an Angelis, quo perfectiores natura, sit data perfectior gratia?* pag. 146.
- Art. XXX. *De Peccato Angelorum.* pag. 147.
- Art. XXXI. *An peccatum Angelorum processerit ex errore intellectus?* pag. 153.
- Art. XXXII. *An Angeli post peccatum immediatè sint detrusi in infernum?* pag. 154.
- Art. XXXIII. *An potior Angelus inter peccantes præcesserit cætenos Angelos? hoc est, fuerit supremus inter omnes Angelos?* pag. 156.
- Art. XXXIV. *An & quomodo Demones torqueantur in inferno ab igne corporeo?* pag. 157.
- Art. XXXV. *An Demones, similiterque dagnati possint ulla, licet brevissima perfrui delectatione?* pag. 161.
- Art. XXXVI. *An Demones possint operari aliquod bonum morale?* pag. 163.
- Art. XXXVII. *De Ordine, & Hierarchia Angelorum.* pag. 167.
- Art. XXXVIII. *An Angeli ad custodiam hominum mittantur?*
pag. 169.
- Art. XXXIX. *An ex omni ordine Angelorum Angeli mittantur propter hominum salutem?* pag. 172.
- Art. XL. *De potentia Angelorum in ordine ad corpora assumpta.* pag. 173.
- Art. XLI. *An Angeli possint corpora localiter movere, aut detinere motum, & impulsu corporum?* pag. 176.
- Art. XLII. *An Angeli, Demonesque naturaliter possint infirmi.*

- mitatibus hominum, & animantium mederi? pag. 177.
- Art. XLIII. Quid possint Angeli, & Dæmones in potentiis interioribus hominis, intellectu scilicet & voluntate? pag. 179.
- Disp. V. De Mundi Opificio, seu de opere sex dierum. p. 182.
- Art. I. Quid voce Cæli intelligendum venit in præmissis Genesios verbis? pag. 183.
- Art. II. Quod sit opus primi diei? pag. 185.
- Art. III. Quod fuerit opus secundæ diei? pag. 189.
- Art. IV. Quod fuerit opus diei tertiæ? pag. 195.
- Art. V. De Opere plantarum. pag. 198.
- Art. VI. Quod fuerit opus diei quartæ? pag. 201.
- Art. VII. Quod fuerit opus diei quintæ. pag. 203.
- Art. VIII. Quod fuerit opus diei sextæ. pag. 205.
- Art. IX. An dies creationis fuerint veri, & naturales? p. 206.
- Disp. VI. De Hominis Opificio. pag. 209.
- Art. I. Qua ratione sit homo formatus ad imaginem, & similitudinem Dei? pag. 210.
- Art. II. De Loco Paradysi. pag. 213.
- Art. III. Qualiter formata fuerit Eva? pag. 218.
- Art. IV. De Cognitione primi Parentis. pag. 220.
- Art. V. An Adam fuerit Salomone sapientior? pag. 222.
- Art. VI. De donis & gratiis Adami. pag. 223.
- Art. VII. An Adam simul cum gratia acceperit iustitiam originalem? pag. 224.
- Art. VIII. An in statu innocentie potuerit esse error, aut deceptio? hoc est, an non peccante Adamo, posterius ejus, qui nascerentur cum iustitia originali, possent decipi, & errorem pati? pag. 227.
- Art. IX. An in statu iustitiæ originalis posset homo peccare? pag. 229.
- Art. X. An in eo statu posterius Adam peccantes mortaliter, amitterent donum iustitiæ originalis inadæquate sumptum, hoc est, subjectionem appetitus ad rationem, & immunitatem à morte, & à malis corporalibus? pag. 233.
- Art. XI. De primi Parentis immortalitate. pag. 234.
- Art. XII. Quomodo tunc propagarentur homines? pag. 237.
- Art. XIII. De Peccato primi Parentis. pag. 239.

LAUS DEO.



